

Google





723

EROTOPÆGNION,

SIVE

PRIAPEIA

VETERUM

ET

RECENTIORUM.

VENERI JOCOSÆ SACRUM.

LUTETIÆ PARISIORUM,

Apud C.-F. PATRIS, Bibliopolam,
viâ vulgò dictâ *quai Malaquais.*

ANNO REIP. VI.

1798.



INDEX.

PARS PRIOR.

PRIAPEIA VETERUM.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

HIC EXPLICIT PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

PRIAPEIA RECENTIORUM.

ITALI.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

ANONYMA.



NATALIS COMITIS

PRIAPUS.

Priapus, quem hortorum deum esse antiqui crediderunt, è quibus parentibus ortus fuerit non convenit inter scriptores : si quidem alii Naïadis nymphæ ac Dionysi filium fuisse tradiderunt, ut ait Strabo, lib. 13. Alii non Naïadis, sed Chiones fuisse dicunt. Hunc natum fuisse in Lampsaco, ibi que civitatem sui nominis condidisse memorant. Apollonius Venerem cum Baccho congressam fuisse scribit : deindè quùm is ad Indicam expeditionem exivisset, cum Adonide sæpiùs congressa, Priapum concepit. Cum verò Dionysus reverteretur, illi obviàm cum coronâ processit, illum que coronans sequi quidem noluit, quià puderet, quòd nupsisset : at in Lampsacum recedens ibi parere decrevit. Tùm Juno capta zelotypiâ, simulans se opem ferre, manu veneficâ uterum attigit, fecit que puerum deformem, et præ

1

cæteris incredibilem membri pudendi magnitudinem habentem pareret, quem Priapum nominavit. Id cum vidisset Venus, noluit illum capere ob membri magnitudinem, sed in Lampsaco, urbe maris Hellesponti, reliquit. Hujus deformitatem ità complexus est Archias in his carminibus :

Littora parvus ego hìc habito saxosa Priapus,
nulla que cum mergis bella cruenta gero.
Distortus vultus, pes nullus: falce dolando
piscator talem finxerit, aut meliùs.

Deindè, cum adolevisset, pergratus que foret Lampsacenis mulieribus, Lampsacenorum decreto, ex agro Lampsaceno exulavit.

Fabulati sunt antiqui Lotidem nympham, Priapi libidinem fugientem, in Loton fuisse mutatam.

Memoriæ prodidit Eusebius, in libro de falsâ religione, Priapum aliquandò cum uno ex illis asellis, qui Bacchum in Indicam expeditionem proficiscentem trans quemdam fluvium transvexêre, de membri magnitudine decertâsse, (fuit autem tantum Asellorum beneficium creditum, ut illi sint idcircò inter sydera relati, et alteri eorum concessum est, ut loqui posset) qui cum victus fuisset, victorem, ob invidiam,

occidit. Mansit deindè ea consuetudo in sacris, ut asinus Priapo, tanquàm invisum et invidiosum animal, immolaretur.

Scripsit Ovidius libro 1 fastorum, per solemnitatem matris deorum, ad quam omnes dii convenerant, post epulas lautissimas, Priapum fuisse pudicitiæ Vestæ insidiatum. Nàm cum dii cæteri lusibus indulgerent, Vesta que in molli herbâ somnum caperet, ab asino Sileni excitata fuit, ne vim Priapi pateretur : tum verò deterritus fuit ab incæptis Priapus, omnes que conciderunt insidiæ, et asinus ex eo tempore Priapo mactatus fuit in sacrificiis.

Memoriæ proditum est ab antiquis rerum Ægyptiarum scriptoribus, quòd Titanes insidiati Osiridi illum trucidârunt, atque partem suam quisque clàm è domo abstulerunt : sola autem pudenda in fluvium projecerunt, cum nemo vellet illa auferre. Isim resumpsisse membra de captis Titanibus memorant, hominem que formâsse, ac dedisse sacerdotibus sepeliendum. Solum virile membrum non potuisse inveniri, quod imperatum est tanquàm deum coli, quod non modò divinos honores ità fuit consecutum, sed etiam custodem hortorum ac vinearum et omnium fructiferarum

arborum putârunt, ultorem que ac vindicem fascinantium.

Fuit portus Priapi nomine propè Dardaniam, et urbs ad mare sita, quibus in locis eximiè Priapus colebatur.

Fuerunt qui memoriæ prodiderint Priapum fuisse virum Lampsacenum, qui, cum haberet ingens instrumentum et facilè paratum plantandis civibus, gratissimus fuerit mulieribus Lampsacenis. Ea causa postmodò fuisse dicitur, ut Lampsacenorum omnium cæterorum invidiam in se converterit, ac demùm ejectus fuerit ex ipsâ insulâ. At illud facinus ægerrimè ferentibus mulieribus, et pro se deos precantibus, cum post nonnullis interjectis temporibus Lampsacenos gravissimus pudendorum membrorum morbus invasisset, Dodonæum oraculum adeuntes percunctati sunt, an ullum esset ejus morbi remedium. His responsum est morbum non priùs cessaturum, quàm Priapum in patriam revocâssent: quod cum fecissent, templa et sacrificia illi statuerunt, Priapum que hortorum deum esse decreverunt.

Atque tot sunt de Priapo ab antiquis memoriæ prodita. Priapus Naïadis et Dionysi filius dicitur, quià pro semine rerum naturalium

capitur. Dionysus enim sol est, aut calor, at Naïs humor, ut dictum est, è quibus semina concipiuntur rerum naturalium. Quidam Chiones filium putârunt, quià album sit, et lacti vel nivi simile rerum propè omnium semen : nam Græci *chiona* nivem vocârunt. Qui Veneris et Adonidis filium esse crediderunt, in idem denique relabuntur, solis que differunt nominibus. Alii Priapum Bacchi ac Veneris filium fuisse crediderunt, quià vinum propter calorem excitet libidinem, ac deum putârunt Lampsaci ob fertilitatem et bonitatem vinorum, quæ ibi nascerentur. Illius imago sinistrâ manu mentulam, dextrâ falcem tenebat, quòd omnium nascentium temporis certi et cuique concessi certa sit meta, quâ vitam abscindi necesse est. Fuerunt tamen nonnulli, qui Priapum nullum esse alium quàm Pana putaverint. Verùm vel nominis ipsius etymologia indicat Priapum esse semen. Quòd Venus ipsum ob deformitatem in Lampsaco reliquit, nihil aliud significat, nisi res multas naturæ esse necessarias, quas tamen ob turpitudinem natura occultavit : sic pudenda hominum villis occultantur, et sunt in parte corporis occultiore : sic anum modò intrà nates occuluit, modò sub caudarum

integumento locavit, modò ità fecit occultum, ut in nonnullis eum dignoscere haud facile sit, ut in piscibus modò non apparet omninò, ut in genere conchyliorum, et testâ intectorum. Nam cum deformia sint, et ab ipsâ naturâ consultò abscondita illa membra, tum turpia sunt illorum officia, quamvis necessaria. Idcircò et nos aliquandò rei venereæ obscœnitatem ità breviter expressimus :

Nil amor est aliud, Veneris quàm parva voluptas,
quæ simul expleta est, inficit ora rubor.

Deformis igitur et obscœnus Priapus jure optimo fingitur, quià turpis est illa naturæ actio : et quam nemo prorsùs appeteret, nisi illam cæcâ suavitate natura respersisset.

Mythologiæ lib. V. Cap. XV.

PARS PRIOR.

PRIAPEIA

VETERUM.

JOSEPHUS SCALIGER.

Scripserunt hujus argumenti poematia plures veterum, Catullus, Tibullus, Ovidius, Petronius Arbiter, alii. Itaque ex eorum epigrammatis totus hic liber concinnatus est, et conflatus ab eo qui epigramma illud libro præposuit : *Carminis incompti, etc.* Argumentum varium est : modò enim vel poeta, vel puella, vel viator, vel villicus Priapum adloquitur. Interdùm ipse Priapus furibus masculini et fœminini sexûs stuprum suadet, vel minatur. Sortem suam miseratur de tentigine suâ, de furibus, de puellis lascivis super inguina Priapi de nocte molentibus conqueritur, et alia plurima, etc.

AD LECTOREM.

Carminis incompti lusus lecture procaces,
conveniens Tatio pone supercilium.
Non soror hoc habitat Phœbi, non Vesta sacello,
nec quæ de patrio vertice nata Dea est:
sed ruber hortorum custos, membrosior æquo,
qui tectum nullis vestibus inguen habet.
Aut igitur tunicam parti prætende tegendæ,
aut quibus hanc oculis adspicis, ista lege.

CARMEN I.

AD PRIAPUM.

LUDENS hæc ego teste te, Priape,
horto carmina digna, non libello,
scripsi non nimiùm laboriosè.
Nec Musas tamen, ut solent Poetæ,
ad non virgineum locum vocavi.
Nam sensus mihi cor que defuisset,
castas, Pieridum chorum, sorores
auso ducere mentulam ad Priapi.
Ergò, quidquid id est, quod otiosus
templi parietibus tui notavi,
in partem accipias bonam rogamus.

II.

PRIAPUS.

Obscurè poteram tibi dicere, da mihi, quod tu
des licet assiduè, nil tamen indè perit.
Da mihi quod cupies frustrà dare forsitan olim,
cum tenet obsessas invida barba genas:
quod que Jovi dederat, qui raptus ab alite sacrâ,
miscet amatori pocula grata suo:
quod virgo primâ cupido dat nocte marito,
dum timet alterius vulnus inepta loci.
Simplicius multò est, da pædicare, latinè
dicere, quid faciam? Crassa Minerva mea est.

III.

AD PRIAPUM.

Obscœnis rigido Deo tabellas
ducens ex Elephantidos libellis
dat donum Lalage, rogat que tentes,
si pictas opus edat ad figuras.

IV.

DE PRIAPO.

Quam puero legem fertur dixisse Priapus,
versibus hìc infrà scripta duobus erit:

quod meus hortus habet, sumas impunè licebit,
si dederit nobis quod tuus hortus habet.

V.

PRIAPUS.

Quòd sum ligneus, ut vides, Priapus,
et falx lignea, ligneus que penis,
prendam te tamen, et tenebo prensam:
totam que hanc sinè fraude, quantacumque est,
tormento citharâ que tensiorem,
ad costam tibi septimam recondam.

VI.

PRIAPUS.

Cum loquor, una mihi peccatur littera, nàm PRÆ,
PÆ dico semper, blæsa que lingua mihi est.

VII.

PRIAPUS.

Matronæ, procul hìnc abite, castæ:
turpe est vos legere impudica verba.
Non assis faciunt: eunt que rectà:
nimirùm sapiunt, vident que magnam
matronæ quoque mentulam libenter.

VIII.

PRIAPUS.

Cur obscœna mihi pars sit sine veste requiris:
quæro, tegat nullus cur sua signa deus?
Fulmen habet mundi dominus, tenet illud apertè:
nec datur æquoreo fuscina tecta Deo.
Nec Mavors illum, per quem valet, occulit ensem.
Nec latet in tepido Palladis hasta sinu.
Nùm pudet auratas Phœbum portare sagittas?
Clàm ve solet pharetram ferre Diana suam?
Nùm tegit Alcides nodosæ robora clavæ?
Sub tunicâ virgam nùm Deus Ales habet?
Quis Bacchum gracili vestem prætendere thyrso?
Quis te celatâ cum face vidit, Amor?
Nec mihi sit crimen, quòd mentula semper aperta est;
hoc mihi si telum desit, inermis ero.

IX.

PRIAPUS.

Insulsissima, quid, puella, rides?
Non me Praxiteles Scopas ve fecit:
nec sum Phidiacâ manu politus:
sed lignum rude villicus dolavit:
Et dixit mihi, tu Priapus esto.
Spectas me tamen, et subindè rides.

Nimirùm tibi salsa res videtur,
adstans inguinibus columna nostris.

X.

PRIAPUS.

Ne prensêre, cave: prenso nec fuste nocebo:
sæva nec incurvâ vulnera falce dabo.
Trajectus conto sic extendêre pedali,
ut culum rugas non habuisse putes.

X I.

PRIAPUS.

Quædam senior Hectoris parente,
Cumææ soror, ut puto, Sibyllæ,
æqualis tibi, quam domum revertens
Theseus repperit in rogo jacentem,
infirmo solet hùc gradu venire,
rugosas que manus ad astra tollens,
ne desit sibi, mentulam rogare.
Hesternâ quoque luce, dum precatur,
dentem de tribus excreavit unum.
Tolle, inquam, procul, ac jube latere
scissâ sub tunicâ, stolâque rasâ,
ut semper solet, et timere lucem,
qui tanto patet indecens hiatu,
barbato macer eminente naso,
ut credas Epicuron oscitari.

XII.

PRIAPUS.

Pædicêre, puer, moneo; futuêre, puella:
barbatum furem tertia pœna manet.

XIII.

PRIAPUS.

Huc huc, quisquis es, in Dei salacis
diverti grave ne puta sacellum:
et si nocte fuit puella tecum,
hâc re quod metuas adire, non est;
istuc cœlitibus datur severis.
Nos vappæ sumus, et pusilla culti
ruris numina: nos pudore pulso
stamus sub Jove coleis apertis.
Ergò quilibet huc licebit intret,
nigrâ fornicis oblitus favillâ.

XIV.

PRIAPUS.

Commisso mihi non satis modestas
quicumque attulerit manus agello:
is me sentiet esse non spadonem.
Hic inter frutices loco remoto
dicat forsitan hæc sibi ipse: nemo

præcisum sciet esse me. Sed errat:
magnis testibus ista res agetur.

X V.

AD PRIAPUM.

Qualibus Hippomenes cepit Scheneïda pomis:
qualibus Hesperidum nobilis hortus erat:
qualia credibile est spatiantem rure paterno
Nausicaam pleno sæpè tulisse sinu:
quale fuit malum quod littera pinxit Aconti,
quâ lectâ, cupido pacta puella viro est:
Talia cumque puer dominus florentis agelli
imposuit mensæ, nude Priape, tuæ.

X V I.

PRIAPUS.

Quid mecum tibi, circitor moleste?
Ad me quid prohibes venire furem?
Accedat sine: laxior redibit.

X V I I.

PRIAPUS.

Commoditas hæc est in nostro maxima pene,
laxa quòd esse mihi fœmina nulla potest.

XVIII.

AD PRIAPUM.

Ecquandò Telethusa circulatrix,
quæ clunem, tunicâ tegente nullâ
extis aptiùs, altiùs que motat,
crissabit tibi, fluctuante lumbo:
sic ut non modò te, Priape, posset,
privignum quoque sed movere Phædræ.

XIX.

PRIAPUS.

Fulmina sub Jove sunt: Neptuni fuscina telum:
ense potens Mars est: hasta, Minerva, tua est.
Sutilibus Liber committit prælia thyrsis:
fertur Apollineâ missa sagitta manu.
Herculis armata est invictâ dextera clavâ.
At me terribilem mentula tensa facit.

XX.

AD PRIAPUM.

Copia me perdit: tu suffragare rogatus,
indicio nec me prode, Priape, tuo;
hæc quæcumque tibi posui vernacula poma,
de sacrâ nullî dixeris esse viâ.

XXI.

PRIAPUS.

Fœmina si furtum faciet mihi, vir que, puer que:
haec cunnum, caput hic præbeat, ille nates.

XXII.

PRIAPUS.

Quicumque hìc violam, rosam ve carpet,
furtivum ve olus, aut inempta poma,
defectus puero que, fœminâ que,
hâc tentigine, quam videtis in me,
rumpatur precor usque, mentulâ que
nequidquam sibi pulset umbilicum.

XXIII.

PRIAPUS.

Hìc me custodem fœcundi villicus horti
mandati curam jussit habere loci.
Fur habeas pœnam, licet indignêre, feram que
propter olus, dicas, hoc ego? propter olus.

XXIV.

PRIAPUS.

Hoc sceptrum, quod ab arbore ut recisum est,
nullâ jam poterit virere fronde:

2

sceptrum, quod pathicæ petunt puellæ:
quod quidam cupiant tenere reges:
cui dant oscula nobiles cinædi:
intrà viscera furis ibit usque
ad pubem, capulum que coleorum.

XXV.

PRIAPUS.

Porrò (nam quis erit modus, Quirites?)
Aut præcidite seminale membrum,
quod totis mihi noctibus fatigant
vicinæ sinè fine prurientes,
vernis passeribus salaciores:
aut rumpar, nec habebitis Priapum.
Ipsi cernitis, exfututus ut sim,
confectus que, macer que, pallidus que,
qui quondàm ruber et valens solebam
fures cædere, quàmlibet valentes.
Defecit latus, et periculosam
cum tussi miser expuo salivam.

XXVI.

AD PRIAPUM.

Deliciæ populi, magno notissima Circo
Quinctia, vibratas docta movere nates,
cymbala cum crotalis, pruriginis arma, Priapo
ponit, et adductâ tympana pulsa manu.

Pro quibus ut semper placeat spectantibus, orat,
tenta que ad exemplum sit sua turba Dei.

XXVII.

PRIAPUS.

Tu qui non benè cogitas, et ægrè
carpendo tibi temperas ab horto,
pædicabere fascino pedali.
Quòd si tam gravis, et molesta pœna
non profecerit, altiora tangam.

XXVIII.

AD PRIAPUM.

Obscœnis, peream, Priape, si non
uti me pudet, improbis que verbis:
sed cum tu posito, Deus, pudore
ostendas mihi coleos patentes,
cum cunno mihi mentula est vocanda.

XXIX.

AD PRIAPUM.

VIATOR.

Falce minax et parte tuî majore, Priape,
ad fontem, quæso, dic mihi quà sit iter.

2.

PRIAPUS.

Vade per has vites; sed si quam carpseris uvam,
quas aliter sumas, hospes, habebis aquas.

XXX.

PRIAPUS.

Donec protervâ nil mihi manu carpes,
licebit ipsa sis pudicior Vestâ:
sin, hæc mei te ventris arma laxabunt,
exire ut ipsa de tuo queas culo.

XXXI.

PRIAPUS.

Uvis aridior puella passis,
buxo pallidior, novâ que cerâ,
collatas sibi quæ suis que membris
formicas facit altiles videri:
cujus viscera non aperta Tuscus
per pellem poterit videre Haruspex.
Quæ succo caret, atque petra pumex,
nemo viderit hanc ut expuentem:
quam pro sanguine pulverem, scobem que
in venis medici putant habere:
ad me nocte solet venire: et affert
pallorem maciem que larvialem.

Ductor ferreus insularis, æquè
laternæ videor fricare cornu.

XXXII.

PRIAPUS.

Naïadas antiqui, Dryadas que habuêre Priapi:
et quò tenta Dei vena subiret, erat.
Nunc adeò nihil est, adeò mea plena libido;
ut nymphas omnes interiisse putem.
Turpe quidem fatu, sed, ne tentigine rumpar,
falce manu positâ, fiet amica manus.

XXXIII.

AD PRIAPUM.

Cum sacrum fieret Deo salaci,
conducta est pretio puella parvo,
communis satis omnibus futura,
quæ quot nocte viros peregit unâ,
tot verpas tibi dedicat salignas.

XXXIV.

PRIAPUS.

Pædicabere fur semel, sed idem
si prensus fueris bis, irrumabo.

Quòd si tertia furta molieris,
ut pœnam patiare hanc et illam,
pædicaberis, irrumaberis que.

XXXV.

PRIAPUS.

Notas habemus quisque corporis formas.
Phœbus comosus: Hercules lacertosus:
trahit que Bacchus virginis tener formam:
Minerva flavo lumine est, Venus pæto:
frontem cruentos Arcadas vides Faunos.
Habet decentes Nuntius deûm plantas.
Tutela Lemni dispares movet gressus:
intonsa semper Æsculapio barba est:
nemo est feroci pectorosior Marte:
quod si quis inter hæc locus mihi restat,
deus Priapo mentulatior non est.

XXXVI.

VOTI SOLUTIO.

Cur pictum memori sit in tabellâ
membrum, quæritis, undè procreamur;
cum penis mihi fortè læsus esset,
chirurgi que manum miser timerem,
Diis me legitimis nimis que magnis,
ut Phœbo, puta, filio que Phœbi

curatum dare mentulam verebar.
Huic, dixi, fer opem, Priape, parti,
cujus tu pater ipse par videris:
quâ salvâ, sine sectione, factâ,
ponetur tibi picta, quam levâris
compar, consimilis que, concolor que.
Promisit fore, mentulam que movit
pro nutu Deus, et rogata fecit.

XXXVII.

PRIAPUS.

Simpliciter tibi me, quodcumque est, dicere oportet:
natura est quoniam semper aperta mihi.
Pædicare volo: tu vis decerpere poma.
Quod peto, si dederis, quod petis, accipies.

XXXVIII.

PRIAPUS.

Formâ Mercurius potest placere:
formâ conspiciendus est Apollo,
formosus quoque pingitur Lyæus:
formosissimus omnium est Cupido.
Me pulchrâ fateor carere formâ:
verùm mentula luculenta nostra est:
hanc mavult sibi, quàm Deos priores,
si qua est non fatui puella cunni.

XXXIX.

AD PRIAPUM.

Nota Suburranas inter Telethusa puellas,
quæ, puto, de quæstu libera facta suo est,
cingit inauratâ penem tibi, sancte, coronâ:
hunc pathicæ summi numinis instar habent.

XL.

PRIAPUS.

Quisquis venerit hùc, poeta fiat,
et versus mihi dedicet jocosos.
Qui non fecerit, inter eruditos
ficosissimus ambulet poetas.

XLI.

AD PRIAPUM.

Lætus Aristagoras natis benè villicus uvis
de cerâ facta dat tibi poma, Deus.
At tu sacrati contentus imagine pomi,
fac veros fructus ille, Priape, ferat.

XLII.

PRIAPUS.

Nolite omnia quæ loquor, putare
per lusum mihi, per jocum que dici.

Deprensos ergò ter quater que fures
omnes, ne dubitetis, irrumabo.

XLIII.

PRIAPUS.

Velle quid hanc dicas, quamvis sim ligneus, hastam:
oscula dat medio si qua puella mihi?
Augure non opus est: in me, mihi credite, dixit,
utetur veris usibus hasta rudis.

XLIV.

PRIAPUS.

Cum quemdam rigidus Deus videret
ferventi caput ustulare ferro,
ut Mauræ similis foret puellæ:
heus, inquit, tibi dicimus, cinæde,
uras te licet usque, torqueas que:
nùm tandem prior est puella, quæso,
quàm sunt, mentula quos habet, capilli?

XLV.

PRIAPUS.

O non candidior puella Mauro:
o sed mollior omnibus cinædis,
pygmæo brevior gruem timenti,
ursis asperior, pilosior que,

Medis laxior, Indicis que braccis,
mandes hîc licet, ut libenter ires.
Nam quamvis videar satis paratus,
erucarum opus est decem maniplis,
fossas inguinis ut teram, dolem que
cunni vermiculos scaturienteis.

XLVI.

PRIAPUS.

Quicumque vestrûm qui venitis ad cœnam,
libare nullos sustinet mihi versus:
illius uxor, aut amica, rivalem
lasciviendo languidum, precor, reddat,
et ipse longâ nocte dormiat solus,
libidinosis incitatus erucis.

XLVII.

PRIAPUS.

Quòd partem madidam meî videtis,
per quam significor Priapus esse:
non ros est, mihi crede, nèc pruina:
sed quòd sponte suâ solet remitti,
cum mens est pathicæ memor puellæ.

XLVIII.

PRIAPUS.

Tu quicumque vides circà tectoria nostra
non nimiùm casti carmina plena joci,

versibus obscœnis offendi desine: non est
mentula subducti nostra supercilii.

XLIX.

AD PRIAPUM.

Quædam, si placet hoc tibi, Priape,
ficosissima me puella ludit:
et non dat mihi, nec negat daturam:
causas que invenit usque differendi.
Quæ si contigerit fruenda nobis,
totam cum paribus, Priape, nostris
cingemus tibi mentulam coronis.

L.

PRIAPUS.

Quid hoc negotî est, quâ ve suspicer causâ
venire in hortum plurimos meum fures,
cum quisquis in nos incidit, luat pœnas,
et usque curvos excavetur ad lumbos?
Non ficus hîc est præferenda vicinæ,
uvæ que, quales flava legit Arete:
non mala truncis asserenda Picenis.
Pyrum ve tanto quod periculo captes;
magis que cerâ luteum novâ prunum,
sorbum ve ventres lubricos moraturum:
præsigne rami nec mei ferunt morum,
nucem ve longam, quam vocant Avellanam,

amygdalum ve flore purpureo fulgens.
Non brassicarum fero gulosior caules,
betas ve, quantas hortus educat nullus,
crescens ve semper in suum caput porrum:
nec seminosas ad cucurbitas quemquam,
ad ocymum ve, cucumeres ve humi fusos,
venire credo, sessiles ve lactucas.
Nec ut salaces nocte tollat erucas,
mentam que olentem, cum salubribus rutis:
acres que cæpas, allium que fibratum.
Quæ cuncta nostro ut ambiamus in septo,
non pauciora proximi ferunt horti,
quibus relictis, in mei laboratum
locum venitis, improbissimi fures:
nimirùm apertam convolatis ad pœnam;
et vos hoc ipsum, quod minamur, invitat.

L I.

PRIAPUS.

Heus tu non benè, qui manum rapacem
mandato mihi contines ab horto:
jam primùm stator hic libidinosus,
alternis ineundo et exeundo,
portâ te faciet patentiorem.
Accedunt duo qui latus tuentur,
pulchrè pensilibus peculiati,
qui cum te malè foderint jacentem,
ad partem veniet salax asellus,
nihilo deteriùs mutoniatus:

quare, qui sapiet, malum cavebit,
cum tantùm hìc sciet esse mentularum.

LII.

AD PRIAPUM.

Contentus modico Bacchus solet esse racemo:
cum capiant alti vix sua musta lacus.
Magna que fœcundis cum mensibus area desit,
in Cereris crines una corona datur.
Tu quoque, Dive minor, majorum exempla secutus,
quamvis pauca damus, consule poma boni.

LIII.

PRIAPUS.

E, D, si scribas, temonem'que insuper addas,
qui medium vult D scindere, pictus erit.

LIV.

PRIAPUS.

Credere quis posset, falcem quoque turpe fateri,
de digitis fures surripuisse meis?
Nec movet amissi tàm me jactura pudor que,
quàm præbent justos altera tela metus.
Quæ si perdidero, patriâ mulctabor, et olim
ille tuus civis, Lampsace, Gallus erit.

L V.

PRIAPUS.

Derides quoque, fur, et impudicum
ostendis digitum mihi minanti.
Eheu! me miserum quòd ista lignum est,
quæ me terribilem facit videri.
Mandabo domino tamen salaci,
ut pro me velit irrumare fures.

L V I.

PRIAPUS.

Cornix, et caries, vetus que bustum,
turbâ et putrida facta sæculorum,
quæ forsan potuisset esse nutrix
Tithoni, Priami que, Nestoris que,
illis in pueris anus fuisset;
ne desit sibi me rogat fututor.
Quid si nunc roget ut puella fiat?
Si nummos tamen hæc habet, puella est.

L V I I.

PRIAPUS.

Quicumque fur fefellerit fidem nostram,
effœminato marceat procul culo.

Quæ que hæc protervâ carpserit manu poma
puella, nullum inveniat fututorem.

LVIII.

PRIAPUS.

Prædictum tibi ne negare possis,
si fur veneris, impudicus ibis.

LIX.

AD PRIAPUM.

Si quot habes versus, tot haberes poma, Priape,
esses antiquo ditior Alcinoo.

LX.

AD PRIAPUM.

Quid frustrà quereris, colone, mecum,
quòd quondàm benè fructuosa malus
autumnis sterilis duobus adstem?
Non me prægravat, ut putas, senectus,
nec sum grandine verberata durâ,
nec gemmas modò germine exeunteis
seri frigoris ustulavit aura,
nec venti, pluviæ ve, siccitas ve,
quod de se quererer, malum dederunt.
Non sturnus mihi, graculus ve raptor,

aut cornix anus, aut aquosus anser,
aut corvus nocuit siticulosus:
sed quòd carmina pessimi poetæ
ramis sustineo laboriosis.

LXI.

PRIAPUS.

Securi dormite canes; custodiet hortum
cum sibi dilectâ Seirius Erigone.

LXII.

PRIAPUS.

Parùm est, amici, fixerim quòd hìc sedem,
agente terrâ per caniculam rimas,
siticulosam sustinens diù æstatem.
Parùm quòd imi perfluunt sinus imbres:
et in capillos grandines cadunt nostros:
riget que cruda barba vincta crystallo.
Parùm quòd actâ sub laboribus luce,
parem diebus pervigil traho noctem.
Huc adde quòd me terribilem Deum fuste
manus sinè arte rusticæ dolaverunt,
inter que cunctos vilius deos numen
cucurbitarum ligneus vocor custos.
Accedit istis impudentiæ signum,
libidinoso tenta pyramis nervo:

ad

ad hanc puella (penè nomen adjeci)
solet venire cum suo fututore:
quo tot figuras, quot Philænis invenit,
non admovente, pruriosa discedit.

LXIII.

PRIAPUS.

Quidam mollior anseris medullâ
furatum venit hùc amore pœnæ:
furetur licet, usque non videbo.

LXIV.

AD PRIAPUM.

Hic tibi qui rostro crescentia lilia mersit,
cæditur è tepidâ victima porcus harâ.
Ne tamen exanimum facias pecus omne, Priape,
horti sit facies janua clausa tui.

LXV.

PRIAPUS.

Tu quæ, ne videas notam virilem,
hinc averteris, ut decet pudicam:
nimirùm, nisi quod times videre,
intrà viscera habere concupiscis.

L X V I.

PRIAPUS.

PEnelopes primam DIdonis prima sequatur,
et primam CAni syllaba prima REmi,
quod que fit ex illis, mihi tu deprensus in horto,
fur, dabis: hâc pœnâ culpa luenda tua est.

L X V I I.

PRIAPUS.

Rusticus indoctè si quid dixisse videbor,
da veniam; libros non lego, poma lego.
Sed rudis hìc dominum toties audire legentem
institi, Homeriacas edidici que notas.
Psoleon ille vocat quod nos Psoloenta vocamus:
id quod nos culum, culeon ille vocat.
Smerdaleos certè nisi res non munda vocatur,
et pædiconum mentula Smerdalea est.

L X V I I I.

PRIAPUS.

Quid? nisi Tænario placuisset Troica cunno
mentula, quod caneret, non habuisset opus.
Mentula Tantalidæ benè si non nota fuisset,
nil, senior Chryses quod quereretur, erat.

Hæc eadem socium tenerâ spoliavit amicâ,
 quæ que erat Æacidæ maluit esse suam.
Ille Pelethroniam cecinit miserabile carmen
 ad citharam, citharâ tensior ipse suâ.
Nobilis hinc natâ nempè incipit Ilias irâ:
 principium sacri carminis illa fuit.
Altera materia est error fallentis Ulyssei;
 si verum quæras, hunc quoque movit amor.
Hìnc legitur radix de quâ flos aureus exit:
 quem cum moly vocat, mentula moly fuit.
Hìnc legimus Circen, Atlantiadem que Calypso
 grandia Dulichii jussa tulisse viri.
Hujus et Alcinoi mirata est filia membrum
 frondenti ramo vix potuisse tegi.
Ad vetulam tamen ille suam properabat, et omnis
 mens erat in cunno, Penelopeia, tuo.
Quæ sic casta manes, ut jam convivia visas:
 ut que fututorum sit tua plena domus.
E quibus ut scires quicumque valentior esset,
 hæc es ad arrectos verba locuta procos:
« Nemo meo meliùs nervum tendebat Ulysse,
 sive illi laterum, seu fuit artis opus.
Qui quoniàm periit, modò vos intendite, qualem
 esse virum sciero, vir sit ut ille meus. »
Hâc ego, Penelope, potui tibi lege placere:
 illo sed nondùm tempore factus eram.

LXIX.

PRIAPUS.

Cum fici tibi suavitas subibit,
et jam porrigere hùc manum libebit:
ad me respice, fur, et æstimato
quot pondo tibi mentula est cacanda.

LXX.

PRIAPUS.

Illusit mihi pauper inquilinus,
qui libum dederat, molam que fusam,
quarè partibus additis in ignem
sacro protinùs hinc abit peracto.
Vicini canis hùc subindè venit,
nidorem, puto, prosecuta fumi:
quæ libamine mentulæ comeso,
totá nocte mihi litat rigendo.
At vos ampliùs hoc loco cavete
quidquam ponere, ne famelicorum
ad me turba velit canum venire:
ne, dùm me colitis, meum que numen,
custodes habeatis irrumatos.

LXXI.

PRIAPUS.

Si commissa meæ carpes pomaria curæ,
dulcia quid doleam perdere, doctus eris.

LXXII.

AD PRIAPUM.

Pomarii tutela diligens, rubro,
Priape, furibus minare mutino.

LXXIII.

PRIAPUS.

Quòd movear non est; quià, si furaberis ipse
grandia mala, tibi μακρὰ βραχεῖα dabo.

LXXIV.

PRIAPUS.

Obliquis, pathicæ, quid me spectatis ocellis?
Non stat in inguinibus mentula tenta meis.
Quæ tamen exanimis nunc est et inutile lignum,
utilis hæc, aram si dederitis, erit.

LXXV.

PRIAPUS.

Per medios ibit pueros, medias que puellas
mentula; barbatis non nisi summa petet.

LXXVI.

AD PRIAPUM.

Dodona est tibi, Jupiter, sacrata;
Junoni Samos, et Mycena Diti;
undæ Tænaros æquoris que Regi.
Pallas Cecropias, tuetur arces:
Delphos Pythius orbis umbilicum:
Creten Delia Cynthios que colles:
Faunus Mænalon, Arcadum que sylvas.
Est tutela Rhodos beata Solis:
Gades Herculis, humidum que Tibur:
Cyllene celeris Dei nivosa:
Tardo gratior æstuosa Lemnos:
Eunææ Cererem nurus frequentant:
raptam Cyzicos ostreosa Divam:
formosam Venerem Cnidos, Paphos que:
mortales tibi Lampsacum dicârunt.

LXXVII.

PRIAPUS.

Quòd sim jàm senior, meum que canis
cum barbâ caput albicet capillis:
deprensos ego perforare possum
Tithonum, Priamum que, Nestorem que.
Immanem stomachum mihi videtis,
qui densam facitis subindè sepem,
et fures prohibetis hùc adire.

Hoc est lædere, dùm juvatis; hoc est
non admittere ad aucupem volucres.
Obstructa est via: nec licet jacenti
jacturâ natis expiare culpam.
Ergò qui priùs usque et usque et usque
furum scindere podices solebam,
per noctes aliquot, dies que cesso.
Pœnas do quoque, quod satis super que est,
in semen que abeo, salax que quondam
non vitam perago. Quis hoc putaret,
ut lusu citharædus abstineret?
At vos, ne peream situ senili,
quæso, desinite esse diligentes,
ne ve imponite fibulam Priapo.

LXXVIII.

PRIAPUS.

At Dii Deæ que dentibus tuis escas
negent amicas, cunnilinge vicine,
per quem puella fortis antè, nec mendax,
et quæ solebat impigro celer passu
ad nos venire: nunc misella labdace
vix posse jurat ambulare præ fossis.

LXXIX.

AD PRIAPUM.

Priape, quòd sis fascino gravis tento,
quod exprobravit hic tibi suo versu

poeta noster, erubescere hoc noli.
Non es poetâ fascinosior nostro.

LXXX.

AD PRIAPUM.

At non longa satis, non stat benè mentula crassa,
et quam, si tractes, crescere posse putes.
Me miserum! cupidas fallit mensura puellas.
Non habet hæc aliud mentula majus eo.
Utilior Tydeus, qui, si quid credis Homero,
ingenio pugnax, corpore parvus erat.
Sed potuit damno nobis novitas que pudor que
esse: repellendus sæpiùs iste mihi.

LXXXI.

AD PRIAPUM.

Dum vivis, sperare decet: tu, rustice custos,
hùc ades, et, nervis tente Priape, fave.

LXXXII.

AD PRIAPUM.

Villicus ærarî quondàm, nunc cultor agelli,
hæc tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis si fas est, sancte, paciscor,
assiduus custos ruris ut esse velis:

improbus ut si quis nostrum violârit agellum,
hunc tu.... sed taceo. Scis, puto, quod sequitur.

Albius Tibullus.

LXXXIII.

AD PRIAPUM.

Quid hoc novi est? Quid ira nuntiat Deûm?
Silente nocte candidus mihi puer
tepente cum jaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
iners senile penis extulit caput.
Placet, Priape, qui sub arboris comâ
soles sacrum revincte pampino caput
ruber sedere cum rubente fascino.
At, ô Tripalle, sæpè floribus novis
tuas sinè arte deligavimus comas:
abegimus que voce sæpè, cum tibi
senex ve corvus, impiger ve gracculus
sacrum feriret ore corneo caput.
Vale, Priape: debeo tibi nihil:
Vale, nefande destitutor inguinum,
jacebis inter arva pallidus situ,
canis que sævus usque minget, aut tibi
aper fricabit oblitum latus luto.
Sceleste penis, ô cui meum malum
gravi piâ que lege noxiam lues!
Licet querare, nec tibi tener puer
patebit ullus, ingemente qui toro
juvante verset arte mobilem natem.

Puella nec jocosa te levi manu
fovebit, apprimet ve lubricum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
paratur: inter atra cujus inguina,
vagâ que pelle tectus inguinum gelu
araneosus obsidet fores situs.
Tibi hæc paratur: ut tuum ter et quater
voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit æger, aut languentior cubes,
terêris usque, donec ah miser, miser,
triplex que quadruplex que compleas specum.
Superbia ista proderit nihil: simul
vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners? piget ne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel.
Sed ille cum redibit aureus puer,
simul sonanti senserit iter pede,
repentè nervos excitet libidine,
et inquietus inguina arrigat tumor,
neque incitare cesset, usque dùm mihi
Venus jocosa molle ruperit latus.

Albius Tibullus.

L X X X I V.

AD PRIAPUM.

Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
ne capiti soles, ne noceant que nives.
Quæ tua formosos cepit solertia? certè
non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.

Nudus et hibernæ producis frigora brumæ,
nudus et æstivi tempora sicca canis.
Sic ego. Tùm Bacchi respondit rustica proles,
armatus curvâ sic mihi falce Deus:
Tu, puero quodcumque tuo tentare libebit,
cedas. Obsequio plurima vincit amor.
Sed ne te capiant, primò si fortè negabit,
tædia, paulatìm sub juga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones;
longa dies molli saxa peredit aquâ.
Annus in apricis maturat collibus uvas,
annus agit certâ lucida signa vice.
Nec jurare time: Veneris perjuria venti
irrita per terras, et freta summa ferunt.
Gratia magna Jovi. Vetuit pater ipse valere,
jurâsset cupidè quicquid ineptus amor.
Per que suas impunè sinit Dictynna sagittas
affirmes, crines per que Minerva suos.
At si tardus eris, errabis. Transiet ætas;
quàm citò non segnis stat remeat que dies!
quàm citò purpureos deperdit terra colores!
quàm citò formosas populus antè comas!
Quàm jacet, infirmæ venêre ubi fata senectæ,
qui prior Elæo est carcere missus equus!
Vidi jàm juvenem, premeret quum serior ætas,
mœrentem stultos præteriisse dies.
Crudeles divi! serpens novus exuit annos,
formæ non ullam fata dedêre moram;
solis æterna est Phœbo, Baccho que juventa:
nam decet intonsus crinis utrumque deum.

Neu comes ire neges, quamvis via longa paretur,
et canis arenti torreat arva siti.
Quamvis prætexens pictâ ferrugine cœlum
venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cœruleas puppi volet ire per undas,
ipse levem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
aut operi insuetas adteruisse manus.
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, levi tentabis ludere dextrà,
sæpè dabis nudum, vincat ut ille, latus.
Tunc tibi mitis erit, rapias tùm cara licebit
oscula; pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primò; post offeret ipse volenti,
post etiàm collo se implicuisse volet.
Heu! malè nunc artes miseras hæc sæcula tractant.
Jam tener assuevit munera velle puer.
Jam tua, qui venerem docuisti vendere primus,
quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
Pieridas, pueri, doctos et amate poetas;
aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma; carmina ni sint,
ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, vivet: dùm robora tellus,
dùm cœlum stellas, dùm vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis:
et ter centenas erroribus expleat urbes:
et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Blanditis vult esse locum Venus ipsa querelis;
    supplicibus miseris flentibus illa favet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore;
    sed Titium conjux hæc meminisse vetat.
« O! fuge te teneræ puerorum credere turbæ:
    nam caussam justi semper amoris habent.
Hic placet, angustis quòd equum compescit habenis,
    hic placidam niveo pectore pellit aquam.
Hic, quià fortis adest audacia, cepit; at illi
    virgineus teneras stat pudor antè genas. »
Pareat ille suæ. Vos me celebrate magistrum,
    quos malè habet multâ callidus arte puer.
Gloria cuique sua est. Me, qui spernentur amantes,
    consultent. Cunctis janua nostra patet.
Tempus erit, quùm me Veneris præcepta ferentem
    deducat juvenum sedula turba senem.
Eheu quam Marathus lento me torquet amore!
    deficiunt artes, deficiunt que doli.
Parce, puer, quæso, ne turbis fabula fiam:
    quùm mea ridebunt vana magisteria.

ALBIUS TIBULLUS.

LXXXV.

PRIAPUS.

Hunc ego, juvenes, locum villulam que palustrem,
tectam vimine junceo, caricis que maniplis,
quercus arida, rusticâ conformata securi,
nutrivi: magis et magis ut beata quotannis.

Hujus nam domini colunt me, Deum que salutant,
pauperis tugurii páter, filius que:
alter assiduâ colens diligentiâ, ut herba
dumosa, aspera que à meo sit remota sacello:
alter parva ferens manu semper munera largâ;
florido mihi ponitur picta vere corollà
primitu, et tenerâ virens spica mollis aristâ:
luteæ violæ mihi, luteum que papaver,
pallentes que cucurbitæ, et suave olentia mala;
uva pampineâ rubens educata sub umbrâ.
Sanguine hanc etiam mihi (sed jacebitis) aram
barbatus linit hirculus, cornipes que capella,
pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
præstare, et domini hortulum, vineam que tueri.
Quare hìnc, ô pueri, malas abstinete rapinas.
Vicinus propè dives est, negligens que Priapus.
Indè sumite, semita hæc deindè vos feret ipsa.

CATULLUS.

LXXXVI.

PRIAPUS.

Ego hæc, ego arte fabricata rusticâ,
ego arida, ô viator, ecce populus
agellulum hunc sinistra, tute quem vides,
heri que villulam hortum que pauperis
tueor, malas que furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
mihi rubens arista sole fervido:
mihi virente dulcis uva pampino:

mihi que glauca duro oliva frigore.
Meis capella delicata pascuis
in urbem adulta lacte portat ubera:
meis que pinguis agnus ex ovilibus
gravem domum remittit ære dexteram:
tener que, matre mugiente, vaccula
deûm profundit antè templa sanguinem.
Proin, viator, hunc Deum vereberis,
manum que sorsùm habebis. Hoc tibi expedit.
Parata nam que crux, sinè arte mentula.
Velim pol! inquis: at pol! ecce villicus
venit, valente cui revulsa brachio
fit ista mentula apta clava dexteræ.

Catullus.

LXXXVII.

AD PRIAPUM.

Carminis Ityphallici fragmentum.

Hunc lucum tibi dedico consecro que, Priape,
quæ domus tua Lampsaci est, quæ que sylva, Priape.
Nam te præcipuè in suis urbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

Idem.

LXXXVIII.

PRIAPUS.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
cum faber incertus scamnum faceret ne Priapum,

maluit esse Deum; Deus indè ego furum, avium que
maxima formido : nam fures dextra coercet,
obscœno que ruber porrectus ab inguine palus :
ast importunas volucres in vertice arundo
terret fixa, vetat que novis considere in hortis.
Hùc priùs angustis ejecta cadavera cellis
conservus vili portanda locabat in arcâ.
Hoc miseræ plebi stabat commune sepulchrum,
Pantolabo scurræ, Nomentano que nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos Cippus in agrum
hic dabat, hæredes monumentum ne sequerentur.
Nunc licet Æsquiliis habitare salubribus, atque
aggere in aprico spatiari : quomodò tristes
albis informem spectabant ossibus agrum.
Cum mihi non tantùm fures que, feræ que suetæ
hunc vexare locum curæ sunt atque labori,
quantùm carminibus quæ versant atque venenis
humanos animos, has nullo perdere possum,
nec prohibere modo, simul ac vaga Luna decorum
protulit os, quin ossa legant, herbas que nocentes.
Vidi egomet nigrâ succinctam vadere pallâ
Canidiam pedibus nudis, passo que capillo,
cum Saganâ majore ululantem. Pallor utrasque
fecerat horrendas aspectu : scalpere terram
unguibus, et pullam divellere mordicùs agnam
cœperunt : cruor in fossam confusus, ut indè
Manes elicerent animas responsa daturas.
Lanea et effigies erat, altera cerea : major
lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat servilibus, ut que

jàm

jàm peritura, modis. Hecaten vocat altera, sævam
altera Tysiphonen. Serpentes, atque videres
infernas errare canes, Lunam que rubentem,
ne foret his testis, post magna latere sepulchra.
Mentior at si quid, merdis caput inquiner albis
corvorum, atque in me veniat mictum atque cacatum
Julius, et fragilis Pedatia, fur que Voranus.
Singula quid memorem? quo pacto alterna loquentes
umbræ cum Saganâ resonarent triste et acutum?
Ut que lupi barbam variæ cum dente colubræ
abdiderint furtim terris, et imaginè cereâ
largior arserit ignis, et ut non testis inultus
horruerim voces furiarum et facta duarum.
Nam displosa sonat quantùm vesica, pepedi
diffissâ nate ficus: at illæ currere in urbem;
Canidiæ dentes, altum Saganæ caliendrum
excidere, atque herbas, atque incantata lacertis
vincula, cum magno risu que joco que videres.

Q. Horatius.

LXXXIX.

PRIAPUS INERS.

At non formosa est, at non benè culta puella,
    at, puto, non votis sæpè petita meis!
Hanc tamen in nullos tenui malè languidus usus,
    sed jacui pigro crimen onus que toro.
Nec potui cupiens, pariter cupiente puellâ,
    inguinis effœti parte juvante frui.

Illa quidem nostro subjecit eburnea collo
brachia Sithoniâ candidiora nive ;
oscula que inseruit cupidæ luctantia linguæ ;
lascivum femori supposuit que femur ;
et mihi blanditias dixit , dominum que vocavit:
et quæ prætereà publica verba juvant.
Tacta tamen veluti gelidâ mea membra cicutâ ,
segnia propositum destituêre suum.
Truncus iners jacui , species et inutile pondus :
nec satis exactum est pondus an umbra forem.
Quæ mihi ventura est (si quidem ventura) senectus ,
cum desit numeris ipsa juventa suis ?
Ah! pudet annorum ; quo me juvenem que virum que,
nec juvenem , nec me sensit amica virum.
Sic flammas aditura pias æterna sacerdos
surgit , et à caro fratre verenda soror.
At nuper bis flava Chloe , ter candida Pitho ,
ter Libas officio continuata meo.
Exigere à nobis angustâ nocte Corinnam ,
me memini numeros sustinuisse novem.
Nùm mea Thessalico languent devota veneno
corpora ? nùm misero carmen et herba nocent ?
Saga ve Pœniceâ defixit nomina cerâ ,
et medium tenues in jecur egit acus ?
Carmine læsa Ceres sterilem vanescit in herbam :
deficiunt læsi carmine fontis aquæ.
Ilicibus glandes , cantata que vitibus uva
decidit , et nullo poma movente fluunt.
Quid vetat et nervos magicas torpere per artes ?
Forsitan impatiens sit latus indè meum.

Huc pudor accessit: facti pudor ipse nocebat:
ille fuit vitii caussa secunda mei.
At qualem vidi tantùm tetigi que puellam!
sic etiàm tunicâ tangitur ipsa suâ.
Illius ad tactum Pylius juvenescere possit,
Tithonus que annis fortior esse suis.
Hæc mihi contigerat; sed vir non contigit illi.
Quas nunc concipiam per nova vota preces?
Credo etiam magnos, quo sum tam turpiter usus,
muneris oblati pœnituisse Deos.
Optabam certè recipi; sum nempè receptus:
oscula ferre; tuli: proximus esse; fui.
Quò mihi fortunæ tantùm? Quò regna sinè usu?
Quid nisi possedi, dives avarus, opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis;
poma que, quæ nullo tempore tangat, habet.
A tenerâ quisquam sic surgit manè puellâ,
Protinùs ut sanctos possit adire Deos.
Sed non blanda, puto, non optima perdidit in me
oscula: non omni sollicitavit ope.
Illa graves potuit quercus, adamanta que durum,
surda que blanditiis saxa movere suis.
Digna movere fuit certè vivos que viros que;
sed neque tum vixi, nec vir, ut antè, fui.
Quid juvet, ad surdas si cantet Phemius aures?
Quid miserum Thamyran picta tabella juvet?
At quæ non tacitâ formavi gaudia mente!
Quos ego non finxi disposui que modos!
Nostra tamen jacuêre, velut præmortua, membra
turpiter, hesternâ languidiora rosâ,

quæ nunc eccè rigent intempestiva, valent que;
nunc opus exposcunt militiam que suam.
Quin istic pudibunda jaces, pars pessima nostrî;
sic sum pollicitis captus et antè tuis.
Tu dominam fallis: per te deprensus, inermis,
tristia cum magno damna pudore tuli.
Hanc etiàm non est mea dedignata puella
molliter admotâ sollicitare manu.
Sed postquàm nullas consurgere posse per artes,
immemorem que suî procubuisse videt,
quid me ludis, ait? quis te, malè sane, jubebat
invitum nostro ponere membra toro?
Aut te trajectis Ææa venefica lanis
devovet; aut alio lassus amore venis.
Nec mora: desiluit tunicâ velata recinctâ;
et decuit nudos proripuisse pedes.
Ne ve suæ possent intactam scire ministræ,
dedecus hoc sumptâ dissimulavit aquâ.

Publ. Ovidius Naso. Amorum Lib. III. Elegia 7.

X C.

PRIAPUS AB ASELLO PRODITUS.

Festa corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
tertia quæ solito tempore bruma refert.
Dî quoque cultores in idem venêre Lyæi,
et quicumque jocis non alienus erat.
Panes, et in venerem Satyrorum prona juventus,
quæ que colunt amnes sola que rura Deæ.

Venerat et senior pando Silenus Asello,
qui que rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti,
gramine vestitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam.
Miscendas parcè rivus agebat aquas.
Naïdes, effusis aliæ sinè pectinis usu,
pars aderant positis arte manu que comis.
Illa super suras tunicam collecta ministrat:
altera dissuto pectus aperta sinu.
Exerit hæc humerum: vestem trahit illa per herbas;
impediunt teneros vincula nulla pedes.
Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent:
pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque inextinctæ, Silene, libidinis, urunt.
Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.
At ruber, hortorum decus et tutela, Priapus
omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat, solâ suspirat in illâ:
signa que dat nutu, sollicitat que notis.
Fastus inest pulchris, sequitur que superbia formam:
irrisum vultu despicit illa suo.
Nox erat, et vino somnum faciente, jacebant
corpora diversis victa sopore locis.
Lotis in herbosâ sub acernis ultima ramis,
sicut erat lusu fessa, quievit humo.
Surgit amans, animam que tenens, vestigia furtim
suspenso digitis fert taciturna gradu.
Ut tetigit niveæ secreta cubilia Nymphæ,
ipsa sui flatûs ne sonet aura, cavet.

Et jam finitimâ corpus librabat in herbâ:
illa tamen multi plena soporis erat.
Gaudet, et à pedibus tracto velamine, vota
ad sua felici cœperat ire viâ.
Eccè rudens rauco Sileni vector Asellus
intempestivos edidit ore sonos.
Territa consurgit Nymphe; manibus que Priapum
rejicit, et fugiens concitat omne nemus.
At Deus obscœnâ nimiùm quoque parte paratus,
omnibus ad Lunæ lumina risus erat.
Morte dedit pœnas autor clamoris, et hæc est
Hellespontiaco victima grata Deo.

Publ. Ovidius Naso. Fastorum Lib. I.

XCI.

FAUNI ERROR.

. . . Cur præcipuè fugiat velamina Faunus
traditur antiqui Fabula plena joci.
Fortè comes dominæ juvenis Tyrinthius ibat:
vidit ab excelso Faunus utrumque jugo.
Vidit et incaluit, montana que Numina, dixit,
nil mihi vobiscum est: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu.
Aurea pellebant rapidos umbracula soles,
Quæ tamen Herculeæ sustinuêre manus.
Jam que nemus Bacchi, Tmoli vineta, tenebant:
Hesperus et fusco roscidus ibat equo.

Antra subit tofis laqueata que pumice vivo.
 Garrulus in primo limine rivus erat.
Dum que parant epulas potanda que vina ministri;
 cultibus Alciden instruit illa suis.
Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas,
 dat teretem zonam, quâ modò cincta fuit.
Ventre minor zona est: tunicarum vincla relaxat,
 ut possit magnas exeruisse manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
 stringebant magnos vincula parva pedes.
Ipsa capit clavam que gravem, spolium que leonis,
 condita que in pharetrâ tela minora suâ.
Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
 et positis juxtà secubuêre toris.
Caussa, repertori vitis pia sacra parabant,
 quæ facerent purè, cum foret orta dies.
Noctis erat medium: (quid non amor improbus audet?)
 Roscida per tenebras Faunus ad antra venit.
Ut que videt comites somno vino que solutos;
 spem capit in dominis esse soporis idem.
Intrat, et hùc illùc temerarius errat adulter,
 et præfert cautas subsequitur que manus.
Venerat ad strati captata cubilia lecti,
 et primâ felix sorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi setis hirsuta leonis
 vellera, pertimuit, sustinuit que manum.
Attonitus que metu rediit, ut sæpè viator
 turbatum viso rettulit angue pedem.
Indè tori, qui junctus erat, velamina tangit
 mollia, mendaci decipitur que notâ.

Adscendit : spondâ que sibi propiore recumbit :
(et rigidum cornu durius inguen erat.)
Intereà tunicas orâ subducit ab imâ :
(horrebant densis aspera crura pilis.)
Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
reppulit : è summo decidit ille toro.
Fit sonus : inclamant comites, et lumina poscit
Mæonis. Illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto :
membra que de durâ vix sua ponit humo.
Ridet et Alcides, et qui vidêre jacentem :
ridet Amatorem Lyda puella suum.
Veste Deus lusus, fallentes lumina vestes
non amat, et nudos ad sua sacra vocat.

Publ. Ovidius Naso. Fast. Lib. II.

XCII.

PRIAPI DEDECUS.

Prætereàm, referam ne tuum, rubicunde Priape,
dedecus ? est multi Fabula parva joci.
Turrigerâ frontem Cybele redimita coronâ,
convocat æternos ad sua festa Deos
Convocat et Satyros et rustica Numina, Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocârat, adest.
Nec libet, et longum est, epulas narrare Deorum :
in multo nox est pervigilata mero.
Hi temerè errabant in opacæ vallibus Idæ ;
pars jacet, et molli gramine membra levat.

Hi ludunt, hos somnus habet; pars brachia nectit,
et viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta jacet, placidam que capit secura quietem,
sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum custos Nymphas que Deas que
captat, et errantes fert que refert que pedes.
Adspicit et Vestam. Dubium Nympham ne putârit;
an scierit Vestam: scìsse sed ipse negat.
Spem capit obscœnam, furtìm que accedere tentat,
et fert suspensos, corde micante, gradus.
Fortè senex quo vectus erat Silenus, Asellum
liquerat ad ripas lenè sonantis aquæ.
Ibat ut inciperet longi Deus Hellesponti,
intempestivo cum rudit ille sono.
Territa voce gravi surgit Dea. Convolat omnis
Turba. Per infestas effugit ille manus.
Lampsacos hoc animal solita est mactare Priapo:
apta Asini flammis indicis exta damus.

Publ. Ovidius Naso. Fast. Lib. VI.

XCIII.

IN FULVIAM.

Quòd futuit Glaphyren Antonius, hanc mihi pœnam
Fulvia constituit, se quoque uti futuam.
Fulviam ego ut futuam? Quid si me Manius oret
pædicem? Faciam? Non, puto, si sapiam.
Aut futue, aut pugnemus, ait. — Quid si mihi vitâ
charior est ipsâ mentula?..... Signa canant.

C. Cæsar Octavianus Augustus.

XCIV.

AMANTIS A MENTULA PRODITI FUROR IRRITUS.

Ter corripui terribilem manu bipennem,
ter languidior coliculi tepente thyrso,
ferrum timui, quod trepido malè dabat usum.
Nec jam poteram quod modò conficere libebat.
Namque illa metu frigidior rigente brumâ
confugerat in viscera mille operta rugis.
Ità non potui supplicio caput aperire:
sed furciferæ mortifero timore lusus,
ad verba, magis quæ poterant nocere, fugi.

Petronii Satyricon, Cap. 92.

XCV.

INVOCATIO AD PRIAPUM.

Nympharum, Bacchi que comes, quem pulchra Dione
divitibus sylvis numen dedit, inclyta paret
cui Lesbos, viridis que Thasos, quem Lydus adorat
vestifluus, templum que tuis imponit hypæpis:
Huc ades, ô Bacchi tutor, Dryadum que voluptas,
et timidas admitte preces: non sanguine tristi
perfusus venio; non templis impius hostis
admovi dextram, sed inops et rebus egenus
adtritis, facinus non toto pectore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hâc prece, quæso,

exonera mentem, culpæ que ignosce minori.
Et quandoque mihi fortunæ adriserit hora,
non sinè honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
corniger, et querulæ fœtus suis, hostia lactens;
spumabit pateris hornus liquor: et ter ovantem
circà delubrum gressum feret ebria pubes.

Petronii Satyricon, Cap. 92.

XCVI.

PRIAPUS.

Vere rosa, Autumno pomis, Æstate frequentor
spicis: una mihi est horrida pestis Hyems.
Nam frigus metuo, et vereor ne ligneus ignem
hâc Deus ignavis præbeat articulis.

XCVII.

PROMETHEUS.

Rogavit alter, Tribadas et molles mares
quæ ratio procreâsset: exposuit senex:
idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
qui, simul offendit ad fortunam, frangitur,
naturæ partes, veste quas celat pudor,
quùm separatim toto finxisset die,
aptare mox ut posset corporibus suis,
ad cœnam est invitatus subitò à Libero;

ubi irrigatus multo venas nectare,
serò domum est reversus titubanti pede:
tum semisomno corde, et errore ebrio,
adplicuit virginale generi masculo,
et masculina membra adplicuit fœminis.
Ità nunc libido pravo fruitur gaudio.

Phædri Fabul. L. IV, f. 14.

XCVIII.

AD CORNELIUM.

Versus scribere me parùm severos,
nec quos prælegat in scholâ magister,
Cornelì, quereris: sed hi libelli,
tanquàm conjugibus suis mariti,
non possunt sinè mentulâ placere.
Quid si me jubeas Thalassionem
verbis dicere nôn Thalassionis?
Quis Floralia vestit, et stolatum
permittit meretricibus pudorem?
Lex hæc carminibus data est jocosis,
ne possint, nisi pruriant, juvare.
Quare, depositâ severitate,
parcas lusibus et jocis, rogamus:
nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

M. Valerius Martialis, Lib. I, Epig. 36.

XCIX.

AD MATRONAM PUDICAM.

Hùc est usque tibi scriptus, Matrona, libellus.
Cui sint scripta rogas interiora? mihi.
Gymnasium, Thermæ, stadium est hâc parte, recede.
Exuimur, nudos parce videre viros.
Hìnc jam, deposito post vina rosas que pudore
quid dicat, nescit saucia Terpsichore.
Schemate nec dubio, sed apertè nominat illam,
quam recipit sexto mense superba Venus.
Custodem medio statuit quam villicus horto;
oppositâ spectat quam proba virgo manu.
Si benè te novi, longum jam lassa libellum
ponebas; totum nunc studiosa leges.

M. Valerius Martialis, Lib. III, Epig. 68.

C.

AD PRIAPUM.

Tu qui pene viros terres, et falce cinædos,
jugera sepositi pauca tuêre loci.
Sed tua non intrent vetuli pomaria fures,
sed puer, aut longis pulchra puella comis.

Idem. Lib. VI, Epig. 16.

C I.

PRIAPUS.

Non sum de fragili dolatus ulmo,
nec, quæ stat rigidâ supina venâ,
de ligno mihi quolibet colùmna est,
sed vivâ generata de cupresso:
quæ nec sæcula centies peracta,
nec longæ cariem timet senectæ.
Hanc tu, quisquis es, ô malus, timeto:
nam si vel minimos manu rapaci
hoc de palmite læseris racemos;
nascetur, licet hoc velis negare,
insertâ tibi ficus à cupresso.

M. Valerius Martialis, Lib. VI, Epig. 49.

C I I.

PRIAPI FURTUM.

Fur notæ nimiùm rapacitatis
compilare Cilix volebat hortum:
ingenti sed erat, Fabulle, in horto,
præter marmoreum nihil Priapum.
Dum non vult vacuâ manu redire,
ipsum surripuit Cilix Priapum.

Idem. Lib. VI, Epig. 72.

CIII.

PRIAPUS.

Non rudis indoctâ fecit me falce colonus :
dispensatoris nobile cernis opus.
Nam Ceretani cultor ditissimus agri
hos Hilarus colles et juga læta tenet.
Adspice, quàm certo videar non ligneus ore,
nec devota focis inguinis arma geram.
Sed mihi perpetuâ nunquàm moritura cupresso
Phidiacâ rigeat mentula digna manu
Vicini, moneo. Sanctum celebrate Priapum,
et bis septenis parcite jugeribus.

M. Valerius Martialis, Lib. VI, Epig. 73.

CIV.

AD JUVENALEM.

De nostro, facunde, tibi, Juvenalis, agello
Saturnalitias mittimus eccè nuces.
Cætera lascivis donavit poma puellis
mentula custodis luxuriosa Dei.

Idem. Lib. VII, Epig. 90.

CV.

AD PRIAPUM.

Non horti, neque palmitis beati,
sed rari nemoris, Priape, custos,
ex quo natus es, et potes renasci,

furaces, moneo, manus repellas,
et sylvam domini focis reserves.
Si defecerit hæc, et ipse lignum es.

M. Valerius Martialis, Lib. VIII, Epig. 40.

C V I.

Idem, postquàm rus exiguum descripsit, addit:

Et cum stet sine falce mentulâ que,
non est dimidio locus Priapo.

Idem. Lib. XI, Epig. 17, v. 21, 22.

C V I I.

PRIAPUS SILIGINEUS.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum,
ipsa licet rodas inguina, purus eris.

Idem. Lib. XIV, Epig. 69.

C V I I I.

FRAGMENTUM.

Columella, dùm præcepta rei Hortensis metris includit, Virgilii vestigiis insistens, et Rapini nostri perelegans antesignanus, rusticum horti dominum vetat signa molliter spirantia et Polycletis aut Phidiæ manu exculpta hirtis sepibus inserere, sic prosecutus:

Arte laboretur sed truncum fortè dolatum
arboris antiquæ: numen venerare Ityphalli

terribilis

terribilis membri, medio qui semper in horto
inguinibus puero prædoni falce minetur.

Lucii Junii Moderati Columellæ,
de cultu hortorum Carmen, v. 31.

CIX.

AMOR SINE PRIAPO.

Amare liceat, si potiri non licet.
Fruantur alii: non moror, non sum invidus.
Nam sese excruciat qui beatis invidet.
Quos Venus amavit, fecit amoris compotes:
nobis Cupido velle dat, posse abnegat.
Olli purpurea delibantes oscula,
clemente morsu rosea labella vellicent;
candentes dentes effigient suavio;
malas adorent ore, et ingenuas genas,
et pupularum nitidas geminas gemmulas.
Quin et cum tenera membra molli lectulo
compectorata adhærent Veneris glutino:
libido cum lascivo instinctu suscitat
sinuare ad Veneris usum femina; fœminæ
inter gannitus et subantis voculas,
carpant papillas, atque amplexus intiment,
arent que sulcos molles arvo venereo,
thyrsum que pangant hortulo in Cupidinis,
dum crebros ictus connivente lumine,
trepeditante cursu, venere et animâ fessulâ,
ejaculent tepidum rorem niveis laticibus.
Hæc illi faciant, queis Venus non invidet.

At nobis casso saltem delectamine
amare liceat, si potiri non licet.

Apuleius,

C X.

CENTO NUPTIALIS.

Accipite hæc animis : lætas que advertite mentes,
ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
ambo florentes, genus insuperabile bello:
Tu que prior : nam te majoribus ire per altum
auspiciis, manifesta fides. Quo justior alter
nec pietate fuit, nec bello major et armis.
Tu que, puer que tuus, magnæ spes altera Romæ,
flos veterum, virtus que virûm, mea maxima cura,
nomine avum referens, animo, manibus que parentem.
Non injussa cano. Sua cuique exorsa laborem,
fortunam que ferent. Mihi jussa capessere fas est.

CŒNA NUPTIALIS.

Expectata dies aderat. Dignis que hymenæis
matres atque viri, juvenes que antè ora parentûm
conveniunt : strato que super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, onerant que canistris
dona laboratæ Cereris ; pinguis que ferinæ
viscera tosta ferunt. Series longissima rerum :
alituum, pecudum que genus, capreæ que sequaces
non absunt illis, nec oves, hœdi que petulci,
et genus æquoreum, damæ, cervi que fugaces.
Antè oculos, inter que manus sunt mitia poma.

Postquàm exempta fames, et amor compressus edendi:
crateras magnos statuunt, Bacchum que ministrant.
Sacra canunt. Plaudunt choreas, et carmina dicunt.
Nec non Threïcius longâ cum veste sacerdos
obloquitur numeris septem discrimina vocum.
At parte ex aliâ, biforem dat tibia cantum:
omnibus una quies operum; cunctique relictis
consurgunt mensis. Per limina læta frequentes
discurrunt, variant que vices populus que patres que,
matronæ, pueri, vocem que per ampla volutant
atria, dependent lychni laquearibus aureis.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSÆ.

Tandem progreditur Veneris justissima cura,
jam matura viro, jam plenis nubilis annis:
virginis os, habitum que gerens. Cui plurimus ignem
subjecit rubor; et calefacta per ora cucurrit,
intentos volvens oculos: urit que videndo.
Illam omnis tectis, agris que effusa juventus,
turba que miratur matrum, vestigia primi
alba pedis. Dederat que comam diffundere ventis.
Fert picturatas auri subtegmine vestes,
ornatus Argivæ Helenæ: qualis que videri
Cœlicolis, et quanta solet Venus aurea contrà:
talis erat species. Talem se læta ferebat
ad soceros; solio que altè subnixa resedit.

DESCRIPTIO EGREDIENTIS SPONSI.

At parte ex aliâ foribus sese intulit altis
ora puer primâ signans intonsa juventâ,

pictus acu chlamydem auratam, quam plurima circùm
purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit,
et tunicam molli mater quam neverat auro:
os, humeros que deo similis, lumen que juventæ,
qualis ubi Oceani perfusus Lucifer undâ
extulit os sacrum cœlo, sic ora ferebat,
sic oculos, cursu que amens ad limina tendit.
Illum turbat amor, figit que in virgine vultus.
Oscula libavit. Dextram que amplexus inhæsit.

OBLATIO MUNERUM.

Incedunt pueri, pariter que antè ora parentûm
dona ferunt, pallam signis, auro que rigentem,
munera portantes, auri que eboris que talenta,
et sellam, et pictum croceo velamen acantho.
Ingens argentum mensis, collo que monile
baccatum, et duplicem gemmis auro que coronam.
Olli serva datur, gemini que sub ubere nati.
Quattuor huic juvenes, totidem innuptæ que puellæ:
omnibus in morem tonsa coma. Pectore summo
flexilis obtorti per collum circulus auri.

EPITHALAMIUM UTRÏQUE.

Tum studio effusæ matres ad limina ducunt.
At chorus æqualis, pueri innuptæ que puellæ
versibus incomptis ludunt, et carmina dicunt:
» O digno conjuncta viro, gratissima conjux,
sis felix, primos Lucinæ experta dolores:
et mater: cape Mæonii carchesia Bacchi.

Sparge, marite, nuces. Cinge hæc altaria vittâ,
flos veterum, virtus que virûm. Tibi ducitur uxor,
omnes ut tecum meritis pro talibus annos
exigat: et pulchrâ faciat te prole parentem.
Fortunati ambo! Si quid pia numina possunt,
vivite felices, dixerunt, currite, fusis,
concordes stabili fatorum numine Parcæ ».

INGRESSUS IN CUBICULUM.

Postquàm est in thalami pendentia pumice tecta
perventum, licito tandem sermone fruuntur.
Congressi jungunt dextras; stratis que reponunt.
At Cytherea novas artes, et pronuba Juno
sollicitat: suadet que ignota lacessere bella
Ille ubi complexu molli fovet, atque repentè
accepit solitam flammam, lectum que jugalem:
ô virgo, nova mî facies, gratissima conjux;
venisti tandem, mea sola et sera voluptas.
O dulcis conjux, non hæc sinè numine divûm
proveniunt. Placito ne etiàm pugnabis amori?
Talia dicentem jamdudùm aversa tuetur,
cunctatur que metu: telum que instare tremiscit,
spem que metum que inter. Funditque has ore loquelas:
per te, per, qui te talem genuêre, parentes,
ô formose puer, noctem non ampliùs unam
hanc tu, oro, solare inopem, et miserere precantis.
Succidimus. Non lingua valet, non corpore notæ
sufficiunt vires; nec vox aut verba sequuntur.
Ille autem, causas necquicquàm nectis inanes;
præcipitat que moras omnes, solvit que pudorem.

IMMINUTIO.

Postquàm congressi solâ sub nocte per umbram,
et mentem Venus ipsa dedit, nova prælia tentant.
Tollit se arrectum; conantem plurima frustrà
occupat, os, faciem que, pedem pede fervidus urget,
perfidus, alta petens, ramum qui veste latebat,
sanguineis ebuli baccis, minio que rubentem,
nudato capite, et pedibus per mutua nexis,
monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum,
eripit à femore, et trepidanti fervidus instat.
Est in secessu, tenuis quò semita ducit,
ignea rima micans: exhalat opaca mephitim;
nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Hìc specus horrendum. Talis sese halitus atris
faucibus effundens, nares contingit odore.
Hùc juvenis notâ fertur regione viarum,
et super incumbens nodis et cortice crudo
intorquet summis adnixus viribus hastam.
Hæsit, virgineum que altè bibit acta cruorem.
Insonuêre cavæ, gemitum que dedêre cavernæ.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
altiùs ad vivum persedit vulnere mucro.
Ter sese attollens, cubito que innixa levavit.
Ter revoluta toro est. Manet imperterritus ille.
Nec mora, nec requies. Clavum que affixus, et hærens
nusquàm amittebat: oculos que sub astra tenebat.
It que, redit que viam toties. Utero que recusso
transadigit costas, et pectine pulsat eburno.

Jam que ferè spatio extremo, fessi que, sub ipsam
finem adventabant. Tum creber anhelitus artus
arida que ora quatit. Sudor fluit undique rivis;
labitur exsanguis, destillat ab inguine virus.

D. Magnus Ausonius.

CXI.

AD PYTHAGORAM, DE MARCO.

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
corporibus que novis das reduces animas;
dic, quid erit Marcus, jam fata novissima functus,
si redeat vitam rursùs in aeriam?
Quis Marcus? feles nuper pullaria dictus,
corrupit totum qui puerile secus,
perversæ Veneris postico vulnere fossor,
Lucilî vatis subula pulliprema.
Non taurus, non mulus erit, non hippocamelus,
non caper, aut aries, sed scarabæus erit.

Idem. Ep 70.

CXII.

SUBSCRIPTUM PICTURÆ CRISPÆ MULIERIS IMPUDICÆ.

Præter legitimi genitalia fœdera cœtûs,
repperit obscœnas veneres vitiosa libido:
Herculis hæredi quam Lemnia suasit egestas,
quam toga facundi scenis agitavit Afranî;

et quam Nolanis capitalis luxus inussit.
Crispa tamen cunctas exercet corpore in uno,
deglubit, fellat, molitur per utramque cavernam:
ne quid inexpertum frustrà moritura relinquat.

D. Magnus Ausonius, Ep. 71.

CXII.

AD ZOILUM DE UXORE MŒCHA.

Semivir uxorem duxisti, Zoïle, mœcham;
ô quantus fiet questus utrinque domi!
quùm dabit uxori molitor tuus, et tibi adulter,
quantùm deprensi damna pudoris ement!
Sed modò quæ vobis lucrosa libido videtur,
jacturam, senio mox subeunte, feret;
incipient operas conducti vendere mœchi,
quos modò munificos lena juventa dabat.

Idem. Ep. 90.

CXIII.

DE TRIBUS INCESTIS.

Tres uno in lecto: stuprum duo perpetiuntur,
et duo committunt: quattuor esse reor.
Falleris: extremis da singula crimina; et illum
bis numeres medium, qui facit et patitur.

Idem. Ep. 119.

CXIV.

IN CASTOREM.

Lambere quùm vellet mediorum membra virorum
Castor, neč posset vulgus habere domi,
repperit, ut nullum fellator perderet inguen:
uxoris cœpit lingere membra suæ.

D. Magnus Ausonius, Ep. 120.

CXV.

IN EUNUM LIGURITOREM.

Eune, quòd uxoris gravidæ putria inguina lambis,
festinas glossas non natis tradere natis.

Idem. Ep. 127.

CXVI.

IN QUENDAM QUI LEVIA SIBI INGUINA FACIEBAT.

Inguina, quòd calido levas tibi dropace, causa est.
Irritant volsas levia membra lupas.
Sed quòd et elixo plantaria podice vellis,
et teris incusas pumice Clazomenas:
causa latet: bimarem nisi quòd patientia morbum
appetit: et tergo fœmina, pube vir es.

Idem. Ep. 131.

CXVII.

FESCENNINA

In nuptias HONORII AUGUSTI *et* MARIÆ.

ALCAICUM.

Princeps corusco sidere pulchrior,
Parthis sagittas tendere certior,
eques Gelonis imperiosior,
quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet, quàm dare Castorem;
præfert Achilli te proprio Thetis,
victum fatetur Delos Apollinem.
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu cum per altas impiger ilices
prædâ citatum cornipedem reges,
ludent que ventis instabiles comæ;
telis jacebunt spontè tuis feræ,
gaudens que sacris vulneribus leo
admittet hastam morte superbior.
Venus reversum spernit Adonidem,
damnat reductum Cynthia Virbium.
Cum post labores sub platani voles
virentis umbrâ, vel gelido specu
torrentiorem fallere Syrium,
et membra somno fessa resolveris:
ô quantus uret tum Dryadas calor!

quot æstuantes ancipiti gradu
furtiva carpent oscula Naïades!
Quis verò acerbis horridior Scythis?
Quis belluarum corde furentior?
Quis, cum micantem te propè viderit,
non optet ultrò servitium pati?
Quis non catenas arripiat libens,
collo que poscat vincula libero?
Tu si nivalis per juga Caucasi
sævas petîsses pulcer Amazonas,
peltata pugnas desereret cohors,
sexu recepto: patris et immemor
inter frementes Hippolyte tubas
strictam securim languida poneret,
et seminudo pectore cingulum
forti negatum solveret Herculi,
bellum que solus conficeret decor.
Beata, quæ te mox faciet virum,
primis que sese junget amoribus!

Age, cuncta nuptiali
redimita vere Tellus,
celebra toros heriles.
Omne nemus cum fluviis,
omne canat profundum.

Ligures favete campi,
Veneti favete montes,
subitis que se rosetis
vestiat Alpinus apex,
et rubeant pruinæ.

Athesis strepat choreis,
calamis que flexuosus
leve Mincius susurret,
et Padus electriferis
admoduletur alnis.

Epulis que jam repleto
resonet Quirite Tibris,
domini que læta votis
aurea septem geminas
Roma coronet arces.

Procul audiant Iberi,
fuit undè semen aulæ:
ubi plena laurearum
imperio fœta domus,
vix numerat triumphos.

Habet hìnc patrem maritus,
habet hìnc puella matrem,
geminâ que parte ductum
Cæsareum Flamineo
stemma recurrit ortu.

Decorent vireta Betim;
Tagus intumescat auro,
generis que procreator
sub vitreis Oceanus
luxurietur undis.

Oriens que regna fratrum,
simul Occidens que plaudat.

Placidæ lætentur urbes,
quæ que novo, quæ que nitent
deficiente Phœbo.

Aquiloniæ procellæ,
rapidi tacete Cori;
taceat sonorus Auster:
solus ovantem Zephyrus
per dominetur annum.

Solitas galeâ fulgere comas,
Stilico, molli necte coronâ.
Cessent litui, sævum que procul
Martem felix tæda releget:
tractus ab aulâ rursùs in aulam
redeat sanguis patris officiis.
Junge potenti pignora dextrâ.
Gener Augusti pridem fueras,
nunc rursùs eris socer Augusti.
Quæ jam rabies livoris erit?
Vel quis dabitur color invidiæ?
Stilico socer est, pater est Stilico.

Attollens thalamis Idalium jubar,
dilectus Veneri nascitur Hesperus.
Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor,
jam produnt lacrymas flammea simplices:
ne cessa, juvenis, cominùs aggredi,
impacata licet sæviat unguibus.
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,

si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia jurgio,
accendit que magis, quæ refugit, Venus.
Quod flenti tuleris, plus sapit osculum.
Dices : ô quoties hoc mihi dulcius,
quàm flavos decies vincere Sarmatas!
adspirate novam pectoribus fidem,
mansuram que facem tradite sensibus.
Tam junctis manibus nectite vincula,
quàm frondens hederâ stringitur æsculus,
quàm lento premitur palmite populus;
et murmur querulâ blandius alite
linguis assiduè reddite mutuis.
Et, labris animum conciliantibus,
alternum rapiat somnus anhelitum.
Amplexu caleat purpura regio,
et vestes Tyrio sanguine fulgidas
alter virgineus nobilitet cruor.
Tum victor madido prosilias toro,
nocturni referens vulnera prælii.
Ducant pervigiles carmina tibiæ,
permissis que jocis turba licentior
exsultet tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite, milites,
passim cum pueris ludite virgines.
Hæc vox ætheriis insonet axibus,
hæc vox per populos, per mare transeat:
formosus Mariam ducit Honorius.

Cl. Claudianus.

CVIII.

IN MARTIUM CINÆDUM.

Quid prodest Martis te vel de nomine dictum,
pruriat infami cum tibi clune Venus?
Fors fuerat potius, Cypridos ut nomen haberes,
et natura daret Martia membra tibi.
Nunc utroque carens, ignoti fabula sexûs,
fœmina cum non sis, vir tamen esse nequis.

BURMANNI Anthologia latina.

CIX.

DE EUNUCHO.

Quem natura marem dederat, fit fœmina ferro;
nam tener impubes viribus exsuitur.
Hìnc juvenem cernis tanto sub robore mollem,
et dubii pulcher corporis errat homo.
Conjugibus cautis placita est monstrosa voluptas;
fidus enim est custos, qui sinè teste datur.

Idem.

CX.

DE EQUA PHILAGRI ADVOCATI.

Caussidicus pauper mediâ sub nocte lucubrans,
cornipedis voluit terga fricare suæ.

Sed cum corpus equæ, dextrâ famulante, titillat,
invasit juvenem prodigiosa Venus.
Nam quà longa solet quadrupia carpere sessor,
subducens duræ pendula crura viæ:
hanc fovet amplexus, blanditur, dum que caballæ
adterit assiduo pene fututor hebes.
Concubitus Cressa legitur quæsîsse juvenci,
quam gravis ira Deæ jussit amare pecus.
Par crimen flammis nostris fors intulit annis,
Pasiphae tauro, Philager arsit equâ.

BURMANNI Anthologia latina.

CXI.

AD LAIDEM.

Formosissima, Laï, fœminarum,
dum noctis pretium tuæ requiro,
magnum continuò petis talentum:
tanti non emo, Laï, pœnitere.

Idem.

CXII.

AD LYDIAM.

Lydia, bella puella, candida,
quæ benè superas lac et lilium,
albam que simul rosam rubidam,
aut expolitum ebur indicum.
Pande, puella, pande capillulos,

flavos, lucentes ut aurum nitidum.
Pande, puella, collum candidum,
productum benè candidis humeris.
Pande, puella, stellatos oculos,
flexaque super nigra cilia.
Pande, puella, genas roseas,
perfusas rubro purpuræ Tyriæ.
Porrige labra, labra corallina,
da columbatìm mitia basia:
sugis amentis partem animi:
cor mihi penetrant hæc tua basia.
Quid mihi sugis vivum sanguinem?
Conde papillas, conde gemipomas
compresso lacte quæ modò pullulant.
Sinus expansa profert cinnama:
undique surgunt ex te deliciæ;
conde papillas, quæ me sauciant
candore, et luxu nivei pectoris.
Sæva, non cernis, quòd ego langueo?
Sic me destituis jam semimortuum?

BURMANNI Anthologia latina.

CXIII.

DE PUERI AMORE.

Quid sævis, Sybari? domiti modò terga juvenci
quid premis et tenerum currere cogis equum?
Dum stupet, ac novus est, et adhuc non novit amorem,
parce: premendus erit, cum veteranus erit.

Idem.

6

CXIV.

PRIAPUS.

Quidnam, quid rapis, ô puella furax?
ne ramos traheres, tibi hæc ferebam;
sed posthàc caveas, feras quid horto;
obduxi licet arma, sum Priapus.

CXV.

PRIAPUS.

Quod meus hortus habet gratanti suscipe mente:
sic fruar et lætus, quod tuus hortus habet.

CXVI.

AD PRIAPUM.

Dum tua pomiferum custodia proteget hortum,
terror et infestis furibus inguen erit,
Lampsacios melior non imbuet hostia cultros,
quàm veniet nostrâ victima cæsa manu.

CXVII.

PRIAPI HORTUS.

Hortis Hesperidum, Sabelle, cultis
nostræ cultior hortus est puellæ.
Mirari, ô bone, desinas, Sabelle;

hortorum Deus ipse nam Priapus
cunctis hunc fodit et rigat diebus.

CXVIII.

PRIAPUS SENIOR.

Utilis es nulli, cunctis ingrata, senectus.
Te Stygio peperit cana Megæra Deo.
Nil adeò firmum est quod non tua robora frangant,
arma, stilos, chartas, saxa, metalla, Deos.
Carmina vivaci membranis illita succo
annorum serie debilitata cadunt.
— Ipsa mihi pugnans quæ flectere mille solebat,
æqualeis inter maxima dicta suas,
nunquàm sueta nisi jugulato cedere ab hoste,
in que imis mortes quærere visceribus,
virgineis ambita choris, adamata puellis,
quam que hostes etiàm charam habuêre sui;
illa caput roseum florenti sandice cincta,
languida cæruleo mentula victa situ est.

CXIX.

GENIO. NUMINIS. PRIAPI.
POTENTIS. POLLENTIS. INVICTI.
JUL. AGATHEMERUS AUG. LIB. A.
CURA. AMICORUM.
SOMNO. MONITUS.

Salve, Sancte Pater, Priape, rerum,
salve, da mihi floridam juventam;

da mihi, ut pueris et ut puellis
fascino placeam bonus procaci,
lusibus que frequentibus jocis que
dissipem curas animo nocentes,
nec gravem timeam nimis senectam,
angar haud miseræ pavore mortis,
quæ ad domus trahet invidas Averni,
fabulas manes ubi rex coercet,
undè Fata negant redire quemquam;
salve, Sancte Pater, Priape, salve.

Convenite simul quot estis omnes,
quæ sacrum colitis nemus, puellæ,
quæ sacras colitis aquas, puellæ,
convenite, quot estis, atque bello
voce dicite blandulâ Priapo:
Salve, Sancte Pater, Priape, rerum;
inguini oscula figite, indè mille
fascinum benè olentibus coronis
cingite illi, iterùm que dicite omnes:
Salve, Sancte Pater, Priape, rerum.
Nam malos arcens homines cruentos,
ire per silüas dat ille vobis,
per que opaca silentia incruenta:
ille fontibus arcet et scelestos,
improbo pede qui sacros liquores
transeunt, faciunt que turbulentos:
qui lavant que manus, nec antè multâ
invocant prece vos, Deæ puellæ.
O Priape, fave, alme, dicite omnes,
salve, Sancte Pater, Priape, salve.

O Priape, potens amice, salve,
seu cupis genitor vocari, et auctor
orbis, aut Physis ipsa, Pan que, salve.
Namque concipitur tuo vigore,
quod solum replet, æthera, atque pontum.
Ergò salve, Priape, salve, sancte.
Sæva Jupiter ipse, te volente,
ultrò fulmina ponit, atque sedes
lucidas cupidus suas relinquit.
Te Venus bona, fervidus Cupido,
Gratia, et geminæ colunt sorores,
atque lætitiæ dator Lyæus.
Namque te sinè, nec Venus placens est,
Gratiæ illepidæ, Cupido, Bacchus.
O Priape, potens amice, salve.
Te vocant prece virgines pudicæ,
zonulam ut solüas diù ligatam,
te que nupta vocat, sit ut marito
nervus sæpè rigens potens que semper:
salve, Sancte Pater, Priape, salve.

CXX.

IN ADVOCATUM EFFŒMINATUM.

Exsecti species viri,
naturæ grave dedecus,
usu fœmineo Paris,
feræ cura libidinis,
cum sis ore facundior,

cur causas steriles agis,
aut corrupta negotia,
et perdenda magis locas?
agnovi, ut video, tuo
ori quid benè credier
non vis, sed puto podici.

Luxorius.

CXXI.

IN MEDICO-LENONEM.

Quòd te pallidulum, Marine noster,
cuncti post totidem dies salutant,
credebam, medicum velut peritum,
curam febribus et manum pudicam
de factis logicæ parare sectæ,
aut de methodicis probare libris.
At tu fornici turpiùs vacabas,
exercens aliis quod ipse possis
lenatis meliùs tibi puellis
scortandi solito labore ferre.
Novi quid libeat tuum, chirurge,
conspectos animum videre cunnos;
vis ostendere te minùs virum esse,
arrectos satis est mares videre.

Idem.

CXXII.

IN SACERDOTEM
Qui multa scorta domi asservabat.

Zelotypus plures incurvas clune puellas;
sed nulla est, quæ te sentiat esse virum.
Custodis clausas, tanquàm sis omnibus aptus;
est tamen internus Jupiter ex famulis.
Si nihil ergò vales, vacuâ cur arrigis arte,
et facis ignavus mentis adulterium?

Luxorius.

CXXIII.

IN PUELLAM HERMAPHRODITAM.

Monstrum fœminei bimembre sexûs,
quam coacta virum facit libido,
quæ gaudes futui furente cunno,
quùm te ceperit impotens voluptas,
non das quod pateris, facis que cunnum.
Illam, quâ mulier probâris esse,
partem cum dederis, puella tunc sis.

Idem.

CXXVI.

IN CAUSSIDICUM.

Esset caussidici si par facundia nervo,
impleret cuncti viscera negotii.

At tamen invigilat caussis, quæ crimina pandunt,
dum Veneris famulum jure Priapus agit.

Luxorius.

CXXIV.

IN PHILOSOPHUM HIRSUTUM ET IMPUDICUM.

Hispidus totâ facie atque membris,
crine non tonso capitis verendi
omnibus clares Stoïcus magister:
te viris tantùm simulas modestum,
nec die quæris coïtum patrare,
ne capi possis lateas que semper;
fervidus sed cum petulante lumbo
nocte formosas subigis puellas,
Incubus fies subitò per actus,
qui Cato dudùm fueras per artes.

Idem.

CXXV.

DE MULIERE MARINA VOCABULO.

Quidam concubitu futuit fervente Marinam;
fluctibus in salsis fecit adulterium.
Non hic culpandus, potiùs sed laude ferendus,
qui memor est Veneris, quòd mare nata foret.

Idem.

CXXVI.

EX ANTHOLOGIA.

Philippi Viator et Priapus.

V. Maturas video ficus; an carpere paucas
das mihi? — *P*. De cunctis non datur una tibi. —
V. Dura, Priape, nimis loqueris: *P*. sed inanis abibis?
V. Jam, rogo te, sodes, da quid: — *P*. et ipse rogo. —
V. Est ne in quo tibi me sit opus? — *P*. Jus illud ubique est:
da, cape. — *V*. Quid de me poscis? an æra, Deus? —
P. Quam peto, res alia est. - *V*. Ecquæ, precor? - *P*. accipe nostro
ex horto; sed da, quod tuus hortus habet.

Transt. Hugo Grotius.

CXXVII.

ALITER.

P. Maturas servo ficus. — *V*. Num carpere poma,
alme Priape, licet? — *P*. Tu tetigisse cave. —
V. Iracundior es. — *P*. Sed et hinc jejunus abito. —
V. Da mihi, da, quæso, namque mihi his opus est. —
P. Si quid de nostro petis, hæc justissima norma est;
des mihi et accipies. — *V*. Tu, Deus, æris eges? —
P. Quæro longè aliud. — *V*. Quid? — *P*. Si vis, ô bone, ficus
esse meas, tibi quæ ponè tument, mihi da.

Editor.

CXXVIII.

ANTISTII PRIAPUS.

Divite sum custos positus Phriconis in agro,
ut tugurî servem culmen, et ista sata.
Quisquis es, edico, mea cum benè riseris arma,
continuò via te quò tua transit, abi.
Sin quà non licitum est transis, nihil ista juvabit
te tua barba: via est invia nulla mihi.

Transt. Hugo Grotius.

CXXIX.

ALITER.

Agrorum custos Deus hìc sto in ditibus agris,
Phryconis frutices parva que tecta tuens,
hæc cuicumque minans: ubi virgam riseris hanc tu
rectam, in vicinas deindè recede vias.
Sin furax vetitum manus adpetat, haud tibi prosit
barba, cave: cunctos nam terebrare scio.

Editor.

CXXX.

LEONIDÆ PRIAPUS.

Hortus hic absque ullo ne sit custode, Priapum
Dinomenes posuit me sua septa super.

Aspice, fur, quantâ tentigine rumpar. — Et istud
ob tam pauca olera hæc? — Dicis : ob hæc olera.

Transt. Hugo Grotius.

CXXXI.

ERYCIUS AD PRIAPUM.

Quàm grave, quàm rigidum defundis ab inguine telum!
pars ad opus certè est ista parata suum.
Fœminei sexûs sitis est tibi magna, Priape:
atque aliquod quærit turgida vena cavum.
Quin potiùs nimiùm crescens hoc contrahe membrum,
et roseâ tectum veste latere sine.
Non vasti te montis habent juga, sed sacra sedes
Lampsacos est Helles adsita littoribus.

Idem.

CXXXII.

ALITER.

Quàm benè dura tibi, quàm mentula tenta bilibri
testiculo nudis surgit ab inguinibus,
stricta, parata, minax! te te premit, ô bone, cunni
aspra sitis, nec non ulcus in omne tumes.
Sed leni tumidas iras, phallum que rigentem,
hunc et florigeris vestibus usque tegas.
Non desertus enim tibi mons habitatur; at oram
Helles Lampsaciæ littora sacra colis.

Editor.

CXXXIII.

TYMNÆI PRIAPUS.

Cuncta Priapizo : vetulus licet, haud fugit ullus,
quisquis furacem hùc ferre manum ausus erit.
Hoc olerum causâ numquid te dicere oportet ?
(Objiciet quisquam forsan) oportet : aio.

Editor.

CXXXIV.

LUCIANI PRIAPUS.

Hîc posuit vacuo dominus me providus horto
custodem arentis palmitis Eutychides.
Fossam hanc ingentem si quis fur transilit audax,
nil nisi præter me podice subripiet.

Idem.

CXXXV.

EJUSDEM PRIAPUS.

Non pedibus stantem me jussit adesse Priapum,
sed nixum genibus jussit Anaxagoras.
Finxit Phyromachus: quæ stat propè Gratia, cum sat
contemplatus eris, ne pete, cur cecidi.

Idem.

CXXXVI.

MARC. ARGENTARII PRIAPUS ET VIATOR.

V. O tempestivas ficus! — *P*. Tu, parce, viator,
laudibus, et ramos ne tueare nimis.
Namque adsto cernens hìc cuncta Priapus acutùm,
ut par est, custos ficubus impositus.
Si ficum audebis tetigisse, æquissima lex est;
podicis, admoneo, tu dabis ipse ficos.

Editor.

CXXXVII.

PRIAPUS.

Strenuus exculti dominus quidam fuit agri,
hortorum que opibus memorabilis. Hic tamen idem
scortator nimius, multâ que libidine suetus
rusticulas vexare lupas, inter que salicta
et densas sæpes obscœna cubilia inire;
indomitum *intendens* animum, semper que paratum
ad facinus, nunquàm calidis dabat otia venis.
Hic Deus è patrio prænobilis Hellesponto
venit adusque Italos sacris cum turpibus hortos:
sinum lactis, et hæc votorum liba quotannis
accipit, ac ruris servat vineta Sabini,
turpiter adfixo pudeat quem visere ramo.

Aurel. Prudentii cont. Symmachum Lib. I.

HIC EXPLICIT PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

PRIAPEIA

RECENTIORUM.

PARS

PARS ALTERA.

PRIAPEIA RECENTIORUM.

ITALI.

I.

RADIX PRIAPEIA.

Antè alias omnes meus hic quas educat hortus,
una puellares allicit herba manus,
quam rapiunt, non ut capiti dent ferre corollas,
et niteat multo flore revincta coma;
læta nec ut festi velentur limina templi,
cum facit ad patrios plebs venerata Deos,
nec phiala ut molles capiat conclusa maniplos,
gutta que supposito stillet odora foco.
Atque ea non Beta est, non Brassica, non Amaranthus,
non quæ flaventi lumine Caltha micat:
lubrica non Lapathus, non est Cereale Papaver,
adjuvat et medicas quæ Panacea manus;
nec Baccho Cynara et mensis accepta secundis,
artificum nec qui surgis, Acanthe, labor;

nec quæ cum rapidi vertit se lumine Phœbi,
    nec quæ de Pueri nomine nomen habet.
Longè alia est, longè que alios aptatur in usus:
    nam primùm bifido nititur illa pede,
enodem tenta in caulem, resupina que tota,
    et patulum minio sparsa rubente caput.
Est eadem, gelidis albet cum terra pruinis:
    est, cum sidereo finditur usta Cane.
Nil refugit, nullo que potest non tempore pangi,
    nullis non aptè conseritur que locis.
Certa nec ulla soli ratio est, cultus que serendæ;
    fœcundum, subigas tu modò, semen habet.
Semina seu mandes sulcis, seu fossa feraces
    accipiat plantas, utraque tuta via est.
At cum jam primâ cœpit pubescere sylvâ,
    exultat que opibus luxuriat que suis,
tum verò lacrymæ summo de vertice manant,
    mella quibus cedant, Sicelis Hybla, tua.
Quin etiàm digitis contrectari que supernè
    Gaudet, et attactu crescit ab ipsa tuo.
Nec minùs hanc, (quæ cuncta mihi licet usque tueri,
    nam me posse loqui fœmina nulla putat:)
quamlibet ingenuæ gaudent tetigisse puellæ,
    et mediam tenerâ continuisse manu.
Sæpè juvat summæ prono dare basia vultu,
    lentam sollicitâ sæpè fovere morâ.
Dum que fovent, tenues plantâ risère tumente
    per tunicas agilem surgere, per que manus.
Tum mirata novam faciem non rustica virgo,
    prægrandes que toros, insolitum que decus,

Te veneror, Gramen, magni mihi numinis instar,
Te que meum columen, Te mea sceptra puto:
dixit, nec cunctata diù, vestem que reducit,
et bibulam inducto sedula fonte rigat.
Illa madet fusâ circùm sua vimina venâ,
quas que haurit, largo fœnore reddit aquas,
cultricum que sinus lætis proventibus implet,
perfugium in multis una reperta malis.
Nam quæ, longinquas sponso volitante per undas,
carpitur indigno sola relicta situ,
et macet in viduo pertabescit que cubili,
fibrâ se multùm graminis hujus alit.
Molle jecur tacitâ quæ deperit icta sagittâ,
plurimam in epoto semine sentit opem.
Cui facies pallet, caulem si prandet opimum,
prandenti gratus serpit in ora rubor:
et quæ turgidulos flendo corrumpit ocellos,
ut temerè in lacrymas hoc genus ire vides,
rore inspersa levi, summâ qui prosilit herbâ,
lætitias animo luminibus que facit:
et quam nigra malis terrent insomnia visis,
admorso placidus germine somnus habet.
Dudùm habilis tùm si qua viro est, mater que vocari
expetit, ignavos cònqueritur que dies,
olim ne sterilem postrema redarguat ætas,
auxilium radix tempore sumpta venit.
Denique si qua suo mulier malè culta marito est,
hanc vorat, atque assis non sua damna facit.
Quam que magis digitos implet cupientis, et ore
manditur oppleto, tam magis illa placet.

7.

In molli latet umbrâ aliis, mihi semper aperta est:
tam bona non debet graminis herba tegi.
Nomine si cupias cognoscere, *Menta pusilla* est,
rides?... sic illam Roma diserta vocat.
Sed quæ, docti homines cum dicunt, Menta pusilla est,
hæc mihi non docto maxima, vel nimia.
Parcite, Romulidæ, verbo sum lapsus in uno:
An quicquam nimium tale quid esse potest?

Petr. Bembus.

II.

VOTUM AD PRIAPUM.

Hæc tibi do cultrix hortorum Galla, Priape,
texta puellari florea serta manu.
Tu face non hortos invisâ à grandine tutos,
nec furum rapidas hinc procul esse manus.
Sed tibi quale, Pater, medio tumet inguine membrum,
sic Lycidæ rigeat tenta columna meo!

Janus Etruscus.

III.

AD ASELLUM.

Princeps volucrum principi sacra est Divûm.
Pavone sancta Juno gemmeo gaudet.
Neptunus agiles frænat ore Delphinas.
Lucem perosam Noctuam fovet Pallas.
Cyllenio cristatus excubat Gallus.
Amat canorum Delius Pater Cycnum.

Cursus equorum Mars regit citatorum;
quibus Priapus jure te omnibus præfert,
Aselle, cunctis mentulatior brutis.

JANUS ETRUSCUS.

IV.

VENUS ET PRIAPUS.

Tractabat clypeum Marti placitura Dione,
sæva que fœmineâ sumpserat arma manu.
Pone, Dea, exclamat petulanti voce Priapus:
pone: decent istas hæc magis arma manus.

SANNAZARUS.

V.

AD PRIAPUM.

Ad templum, et sacræ celebranda ad sacra Minervæ
se se ferre suum Vellia dixit ave.
Non tamen ad castæ se contulit ostia Divæ;
improba sed lenæ limina turpis adit.
Illi igitur nimiùm debes, quæ numine læso
Palladis observat, magne Priape, tuum.

FRANCISC. FRANCHINUS.

VI.

IN STATUAM VENERIS DORMIENTIS.

Oppressam Venerem somno, solam que jacentem
viderat ad murmur lene Priapus aquæ;

cum dixit : Nunc victor ero, Venus improba sola est.
Hìc neque Sileni vector Asellus adest.
Hanc adit, et Venerem aggreditur tentigine ruptus.
Verùm, ubi se vidit saxum iniisse, pudet.
Et nunc saxa obstant, obstant nunc, clamat, Aselli (1),
ah! me amor! ah quantis ludis imaginibus!

Francis. Franchinus.

VII.

NUPTA SENI.

Thestylis annosi conjux lasciva Lycoris,
dum manè, aut serò vespere mulget oves,
sic, ait, infelix! noctes exerceor omnes,
dum languet vetulo pendula verpa meo.

P. Zanchius.

VIII.

DE URSA SUPER INCUBANTE.

Quùm mea vult futui, super incubat Ursa Priapo,
ipse suas partes sustineo, illa meas.
Si juvat, Ursa, vehi, moveas clunem que femur que
parciùs, aut inguen non tolerabit onus.
Deindè cave reduci repetas ne podice penem;
quamvis, Ursa, velis, non mea virga volet.

Antonii Panormitæ Hermaphroditi, L. I.

---

(1) Vid. Part. prim. pag. 44.

IX.

DE CORVINO

Vinum sedulò custodiente, non uxorem.

Corvinus vegetem custodit clave, serâ que:
non cohibet cunnum conjugis ille serâ.
Zelotypus vegetis, cunni sed prodigus ille est;
haustu nam cunnus non perit, illa perit.

Antonii Panormitæ Hermaphroditi, L. I.

X.

EPITAPHIUM PEGASI CLAUDI PÆDICONIS.

Si vis scire meum nomen, votum que, Viator,
Pegasus hâc ego sum claudus humatus humo.
Vota deindè scias, nomen quùm sciveris; audi,
sic desiderio tu potiare tuo!
Quùm pathicum quemquam pædicaturus ephebum es,
illud in hâc tumbâ, quæso, Viator, agas.
Atque animas coïtu, mihi sic, non thure, piato:
scilicet hanc requiem Manibus, oro, dato.
Hoc apud infernas genus est leniminis umbras
præcipuum, prisci sic statuêre patres.
Quippe ità Chironis cineres placabat Achilles;
sensit et hoc podex, flave Patrocle, tuus.
Gnovit Hylas patrio percisus ab Hercule busto:
tu mihi, majores quod docuêre, lita.

XI.

IN MAMURIANUM

Postremæ turpitudinis virum.

Si tot habes humeris penes, quot sorpseris ano,
et perfers, vincis, Mamuriane, boves.
Antonii Panormitæ Hermaphroditi, L. I.

XII.

IN LENTULUM MOLLEM.

Solus habes nummos, et solus, Lentule, libros,
solus habes pueros, pallia solus habes.
Solus et ingenium, cor solus, solus amicos,
unum si demas, omnia solus habes.
Hoc unum est podex, quem non tibi, Lentule, solus,
sed quem cum populo, Lentule mollis, habes.
Idem.

XIII.

IN LUPIUM PÆDICONEM.

Lupius indoctum dum pædicaret ephebum,
dixit: io! clunes, dulcis ephebe, move.
Hic ait: id faciam, verbo si dixeris uno;
ille refert: ceve; diximus, ergo move.
Idem.

XIV.

QUARE URSUS CAUDA CARET.

Fertur ab horticolâ Divam quæsîsse Priapo,
seu Venus in dubio est, seu Dea Flora fuit,
cur quùm velentur quasi quæque animalia caudâ,
Ursus non caudâ membra pudenda tegat.
Ille refert: Escam cupidè dum quæreret Ursus,
in tempestivos incidit ille favos,
nec comedit primùm, licet ipse famelicus esset,
quandò quidem merdas credidit esse favos.
At, stimulante fame, mox hæret, libat, et instat,
mel sapit, et tandem non edit, immò vorat.
Rusticus advortit, properat, strepit, Ursus obaudit,
rusticus is custos mellis, et argus erat.
Denique robusti caudâ subnititur Ursi,
et trahit, ille novo non trahit ora cibo.
Pauperiem timet hic, timet hic de melle moveri;
ille suo perstat proposito, ille suo.
Verùm adeò trahit, adeò hic contrarius obstat,
manserit ut stupidâ cauda revolsa manu.
Hîc Deus hortorum, dum subdere plura pararet,
arrigit, et pepulit mentula tenta Deam.

ANTONII PANORMITÆ Hermaphroditi, L. I.

XV.

DE URSA, AD ARISPAM.

Ecquis erit, vir gnare, modus, ne vulva voracis
Ursæ testiculos sorbeat usque meos?

Ecquis erit, totum femur hæc me sugat hirudo,
ne prorsùs ventrem sugar ad usque meum?
Aut illam stringas quâvis, Arispa, medelâ,
aut equidem cunno naufragor ipse suo.

Antonii Panormitæ Hermaphroditi, L. II.

XVI.

EPITAPHIUM

Nichinæ Flandrensis, scorti egregii.

Si steteris paullùm, versus et legeris istos,
hâc nosces meretrix quæ tumuletur humo.
Rapta fui è patriâ teneris pulchella sub annis,
mota proci lacrymis, mota proci precibus.
Flandria me genuit, totum peragravimus orbem;
tandem me placidæ continuêre Senæ.
Nomen erat, nomen notum Nichina, lupanar
incolui, fulgor fornicis unus eram
Pulchra, decens que fui, redolens, et mundior auro:
membra fuêre mihi candidiora nive.
Quâ melior nec erat Senensi in fornice Thais,
nôrit vibratas quæ que movere nates.
Rapta viris, tremulâ figebam basia linguâ,
post etiam coïtus oscula multa dabam.
Lectus erat multo et niveo centone refectus;
tergebat nervos officiosa manus.
Pelvis erat cellæ in medio, quà sæpè lavabar;
lambebat madidum blanda catella femur.

Nox erat, et juvenum me sollicitante catervâ,
 sustinui centùm non satiata vices.
Dulcis, amœna fui, multis mea facta placebant,
 sed, præter pretium, nil mihi dulce fuit.

ANTONII PANORMITÆ Hermaphroditi, L. II.

XVII.

AD PRIAPUM.

Miles in arma furens rigidum vocat horrida Martem;
 si quis amat, facilis sit rogat usque Venus.
Pallada qui lanas, Cererem, qui ducit aratra,
 Tutorem pecudum, Pana que pastor habet.
Mercurius furi, pariturae maxima Juno,
 et venatori casta Diana favet.
Te, natum que tuum pudet ad mala nostra vocare;
 carminibus vires te dare, Phœbe, sat est.
Hortorum custos tu solus, summe, tuorum,
 arte salutiferâ, sancte Priape, fave.
Sic tibi non desit maturi copia pomi,
 è manibus nullus fur fugiat que tuis.
Sic tu considas tectis sublimis eburnis,
 ne sol exurat, ne gravet unda caput.
Si Neptunus opem nautæ præbere negabit,
 fluctibus in modicis obruet unda ratem.
Quòd si Vulcanus nulli succurreret igni,
 flagraret subito quælibet igne domus.
Tu que meum si non properas sanare priapum,
 decidet, heu! non hoc nobile robur erit.

Antè meis oculis orbatus priver, et antè
abscissus fœdo nasus ab ore cadat.
Non me respiciet, nec me volet ulla puella,
in me etiàm mittet tristia sputa puer.
Tunc delectat ager, gravidis cum canet aristis;
vinea, cum pingues congerit uva lacus.
Sed semper lætis didicit Fortuna nocere;
indoluit nostris invidiosa bonis.
Lætior heu! toto me non erat alter in orbe;
si cadet hic, non me tristior alter erit.
Me miserum! sordes quas marcidus ore remittit!
Ulcera quæ fœdo marcidus ore gerit!
Aspice me miserum precor, ô per poma, per hortos,
per caput hoc sacrum, per rigidam que trabem!
Summe pater, miserere meî, miserere dolentis,
me que tuis meritis fac, precor, usque tuum.
Hunc ego commendo totâ tibi mente, Priape;
fac valeat, fac sit sanus, ut antè fuit.
Ecce tibi officii quò sim memor, ista columna
cerea ponetur, tanta que, quanta mea est.
Vix prece finitâ, signum dedit ille priapo,
quod me sanandi maxima causa fuit.
Quod que magis mirum est, nil sentit mentula morbi;
convalui, et meliùs quàm priùs, illa salit.
Illa salit: quicumque puer, quæcumque puella
occurret, certum est hanc recacare trabem.

PACIFICI MAXIMI Elegiæ jocosæ.

XVIII.

DE PALMERA.

O ego quàm bellum tempus sum nactus amicæ,
si fortuna meo non nocet ulla bono!
Non miror fulvam Crœsi nunc divitis arcam,
Alcinoi que omnes despiciuntur opes.
Non ullum occasus, non ullum vidit et ortus,
qui mihi lætitiâ se putet esse parem.
Det mare Neptunus, Styga Pluto, Jupiter astra,
mutarem superis non bona tecta tribus.
Hæc ego si facerem, possem benè stultus haberi;
qui benè stat, caveat se removere loco.
Divitias animus lætus complectitur omnes;
non ullas animus tristis habebit opes.
Contentus sum sorte meâ, nil ampliùs opto;
nam mihi nil addi, nil que deesse potest.
Si modò quod teneo non ullo tempore desit,
si sit perpetuum, perpetuò que fruar.
Quàm benè constitui vitam mihi, quàm que beatè!
quilibet ut vivat, discat ab arte meâ.
Ut volo, nunc potior placidâ et sine labe puellâ,
quâ nihil est melius, simplicius que nihil.
Credere non posses, quanto me observet amore;
quantùm amet, et quantâ serviat illa fide.
Nil capit hæc à me, sed si quid porrigit alter,
accipit, acceptum restituit que mihi.
Det que mihi quamvis uni, dat sæpè cinædis,
hos mihi cum vidit supposuisse nates.

Cum que tamen fessa est, submittit sæpè sororem,
aut opus exercet juncta sorore soror.
Rem quoque, cum volui, laxat, rursùs que coercet,
Se que parat cunctis ingeniosa modis.
Hanc ego cum futuo, tum me futuisse per urbem
omne genus, seu sit fœmina, mas ve puto.
Concessa est illi fatis æterna juventus,
quæ data, Phœbe, tibi, quæ tibi, Bacche, fuit.
Illa, ego dum vivam, vivet, mecum que peribit,
deficiet que illi, cum mea vita mihi.
Si surgo, surgit, pariter si dormio, dormit,
sæpè que, dum jaceo, me fovet illa sinu.
Surgentem vestit, nudat que cubare volentem,
et lateri juncta est nocte die que meo.
Et ponit mensas, cœnam que ministrat, et omnes
ad mea, nil sumens, porrigit ora cibos.
Si quis erit nobis hostis, defendit ab hoste,
nec sinit, ut lædar, membra que tuta facit.
Illa modò pro me superis que viris que minatur;
pro me nunc superos, nunc rogat illa viros.
Hæc et plura facit, sed nec narrare decebit,
ut citò perficiam quo juvet illa modo.
Quis non invideat, quis non putet esse beatum?
Quis non antè homines ponat et antè Deos?
Si quis erit facilis sensûs, mentis que capacis,
ne mea divulget quæ sit amica, rogo.

PACIFICI MAXIMI Elegiæ jocosæ.

XIX.

DE MENTULA.

Quid dices? quamvis exæquet mentula palmas
nostra duas, libras contineat que decem,
esse tamen minimam queritur, dicit que pusillam
lux mea, nil, cunno cum tenet, esse putat.
Vix celare queunt navalia lintea membrum,
quo viso, tutus furibus hortus erit.
Cum que aliam futui, timui periisse puellam,
illius facies ut morientis erat.
Ostia vix subii, subito cadit illa dolore,
facta que de geminis una fenestra fuit.
Me miserum! tanta est, et tanti ponderis adstat,
ut tres à populo dicar habere pedes.
Magnus adest illi census, nec parva supellex,
immenso si quis pene superbus erit.
Est auro melius tanto gaudere mutone,
pro tanto reges regna dedisse velint.
Ut que suis nummis spectando gaudet avarus,
spectando sic me tanta columna juvat.
Est nive candidior, candore que lilia vincit,
cum jacet, hæc plumas, tenta que robur habet.
Hanc et majorem si quisquam adfectat, habebit;
hæc mihi non nata est, sed mihi facta manu.
Ut que mihi crevit, crescet tibi, fossor agellum
excavet, et largas spargat in arva fabas.
Crede mihi, meliùs valet hâc me nullus in arte:
nam benè qui toties fecerat, ille facit.

Ipse manu didici properantem sistere venam,
 et didici segnem sollicitare manu.
Omnibus his, nimio quos sentis pene superbos,
 dicas, quòd multâ mentula crevit aquâ.
Si benè vis tumeat, benè longa cucurbita fiat:
 in riguos hortos unda perennis eat.
Hæc mihi quid prodest? Nostram non supplet amicam;
 rem tantam tenuem dicit, et esse brevem.
Sarciat immensum, cæcum et sine fine barathrum,
 fune que difficili ter que quater que liget;
aut petat hæc alium, membrum non tale videbit,
 Tale que non cœlum, tale nec orbis habet.
Efficite, ô faciles Superi! (nam cuncta potestis,)
 me totum penem, dicat ut illa, sat est.

PACIFICI MAXIMI Elegiæ jocosæ.

X X.

AD PUEROS ET PUELLAS.

Ite simul centùm pueri, centùm que puellæ,]
 si volet esse meus ille, vel illa mea.
Me petite, obsessum dum non est pectus amore,
 dum vacat, et dum me non furor ullus habet.
Antè fores stantem Fortunam admittite vestram;
 si fugit, effugiet non retinenda magis.
Non ego nunc nummos posco, sed debita merces
 officii, cunnus, vel mihi culus erit.
Tempus adest pueris optatum et mille puellis;
 quin puer hoc lentus, lenta puella petis?

Lentus

Lentus eris, mihi crede, puer, tu lenta puella,
    cum fiam alterius, cum nova jussa sequar.
Si non unus eris, si non eris una, venite
    mille simul, numerus non erit iste satis.
Vidi chortis aves uni servire marito:
    vidi uni pecudes mille subesse viro.
Non opus erucis, opus est non passere nobis,
    nec bulbis; fugiat quælibet herba salax.
Unâ sæpè decem memini me dulce dedisse
    horâ; nunc etiàm quàm benè dulce darem!
Sed jam quid faciam? serâ tentigine rumpor,
    implerem que utres ter que quater que graves.
Jam que diù nullum novit mea mentula cunnum,
    effodit que maris viscera nulla diù.
Illa die tenta est, tenta est et nocte, nec unquàm
    decidit; arrectum est nocte die que caput.
Non puer hæc audit, non audit verba puella;
    nemo venit? solitum dextra frequentet opus.

PACIFICI MAXIMI Elegiæ jocosæ.

X X I.

AD MENTULAM.

Mentula, quid surgis? quid vis? quid pallia rumpis?
    Quid non sub nido, sub tunicâ que lates?
Quid caput hoc fumat, nebulas que exhalat opacas?
    Quid rubricato vertice tenta tumes?
Ad pueros iterùm, molles que redire puellas
    auderes, multis non satiatā malis?

Ad quas non animus tuus hic descenderet artes?
Ad quod non traheret te scelus iste furor?
Jam tibi bis quintus Consul trigesimus extat,
et jam bis septem lustra peracta vides.
Tempore jam cunctis solet hoc extincta jacere,
sed tu plus ferro roboribus que vales.
Convenit hæc juveni stimulos facientibus annis,
qui que nobis cœpit spargere semen agris.
Carmine non ullo, non ullâ cogeris arte,
non facit hoc passer, nec facit herba salax.
Et verum est; vitium quod primis nascitur annis,
hoc solet ad seros sæpè venire dies.
More tuo facis hoc, tuus est qui suscitat usus,
et gula consuetos poscit habere cibos.
Ast ego te saturam demens, fessam que putabam,
et grave te nunquàm posse levare caput.
Nec pudet actorum, cupis ad pejora venire,
atque mala innumeris accumulare malis.
Nil tibi quod donem, restat; tu cuncta vorâsti,
quod pater et mater, quod que reliquit avus.
Quidquid conspicui totâ fuit urbe, volebas,
res que fuit voto nulla negata tuo.
Et tibi nil renui, dum tu contenta fuisses,
et pro te nostris est data furca bonis.
Tu mihi nil unquàm peperîsti, perfida, lucri;
ditavit plures mentula tenta viros.
Non vetulæ, viduæ ve tibi, mancæ ve placebant,
sed delecta famem non nisi pavit avis.
Miror quòd nimium non sis consumpta per usum,
quamvis de ferro facta, vel ære, fores.

Si sapis, et sensu non es deserta, videbo
effœtæ quantus sit tibi stare pudor.
Quin potiùs compesce tuos ratione furores,
te que doma, et fatuo subtrahe calcar equo.
In que aliud differ tempus, non utile tentas,
nunc nihil est, aliquid cras tibi forsan erit.
Dum loquor, istius nulla est clementia vultûs;
usque tumes, vomeres, ejiceres que dapes.
Expecta, dum molle mihi suppono sedile,
et sputo, et manibus te saturabo meis.

PACIFICI MAXIMI Elegiæ jocosæ.

XXII.

PANIS ET PRIAPI AMORES.

Ludebat Superos omnes Latonia virgo:
tam subitò insanos et stupet esse Deos,
et pudet, et quoties tam fœdos cernit amores,
luminibus castas objicit illa manus.
Nec nisi per noctem superis apparet in oris;
cernere vix fratrem sustinet illa suum.
Est irata Deis, magis est irata Deabus,
increpat illa Deos, sed magis illa Deas.
Cum nil proficiat, nocturnas vecta per auras,
Arcadicis præceps advolat illa jugis.
Gens priùs hæc fertur nunquàm vidisse Dianam,
undè etiàm Lunâ creditur esse prior.
Colligit hìc Nymphas, quales collegerat olim
in Cyntho, donec virgo tenella fuit;

cum quibus ipsa feros arcus, pharetram que sonantem,
cum quibus et tunicas induit illa breves:
Parthenios que citâ cingens indagine colles
virgineos armis instruit illa choros.
Nunc et Mænalio saltus, sacri que Lycæi
sylvas, horrentes nunc que fatigat agros.
Cyllenen Pholoen pariter que Erymanthon, et omnes
Arcadiæ montes lustrat agit que feras.
Alphæi ad valles ruit aut Ladonis ad undas,
dum Superûm cœtus, dum fugit illa viros.
Insontes damæ, lepores cervi que cadebant,
sed nulli pereunt, improba turba, lupi.
Cum que lupis deessent cervi que feræ que minores,
innocuæ passim dilaniantur oves.
Pastores illis lugent in montibus omnes,
Parrhasio que ferunt vota preces que Deo.
Pan venit, et miseræ cupiens succurrere genti,
incinctæ occurrit per juga nota Deæ.
Hanc spectat, cupidos que ab eâ non vertit ocellos,
ardet, et insidias per nemus omne parat.
Dilectam que novis decorat Syringa cicutis,
et cantu Nymphis indè placere studet;
has sequitur, vanos que Deûm modulatur amores,
oblitus populi damna nefanda sui.
Intereunt pecudes, et rursùs Pana precantur
pastores, lugent, et pia vota novant.
Sed frustrà Arcadicis fumant in montibus aræ,
votis et precibus prævalet acer amor.
Fortè Deam tenuit tunc Artemisia rupes,
et circùm comitum stabat amica cohors:

ridebant que Deum tenebrosâ in valle canentem,
et cum caprino cornua torva pede.
Non aliter quàm si vicinus rudat asellus,
instrepat aut multis si caper arboribus.
Ira Deum vexat, vires stuprum que minatur,
et vocat agrestes ad sua vota Deos:
Nymphæ diffugiunt: agilis Dea transvolat æquor;
hâc Delon linquens, hâc sibi parte Rhodon,
Ionios Charas que petit, Lydos que propinquos;
rupes et sylvas invia que antra colit,
pulcher ubi Endymion venari sæpè solebat,
multa que Dictynnæ dona referre suæ.
Cui sylvis fuerant que feræ, catuli que voraces:
cui pratis nivei mille fuêre greges:
huc venit: et sumptâ pastoris imagine, sylvas
Pan adit, et lætas forcipe tondet oves,
quò ventura Dea est niveæ cupidissima lanæ.
Nec mora, Diva venit, vellera que alba petit:
promisisse Deus se magnæ fingit amicæ,
sylvarum que jocans ulteriora petit:
ô nimia est superis, nimia est fiducia terris,
si quis se tutum fors ab amore'putat!
Diva pudicitiæ custos, ultrix que severa
quærit amatorem cæca per antra suum.
Hìc spelunca fuit rugosis abdita sylvis:
quæ pars naturæ, pars erat artis opus.
Huc vocat ille Deam: prælata que munera monstrat:
ad sibi monstratas illa cucurrit opes.
Hos Venus Idaliâ vidit sublimis ab æde,
nec quidquam in toto gratius orbe fuit;

hos que adit, et jungi donec dubitaret uterque,
his subitò officium præstitit illa suum.
Verus at Endymion solitum petit inscius antrum:
Diva stupet: vultus Pan capit ipse suos.
Sic Dea lusa latet: fugiunt per devia Nymphæ:
has agitant Satyri per juga quæque leves:
nec fuit in sylvis arbos, nec rupibus antrum,
sub quo non illìc pressa puella foret.
Audiit hos patriâ lusus ex urbe Priapus:
evolat ad lætos impiger ille jocos:
et volvens animo delusos Lotidis ignes,
non furto, sed rem viribus ille parat:
tum Nymphis fustem, Satyris falcem que minatur:
intremit ingentes utraque turba minas:
sed cum non possit Nymphas superare sequendo,
magnam per sylvas quæritat ille Deam.
Dedecus hoc metuens, ut erat, sub rupe Diana
effugit, et bigis fertur ad astra suis.
Talia cernentes ridebant æthere Divi,
fabula nec cœlo gratior ulla fuit.
Illa suos medio vultus abscondit Olympo,
hoc Lunæ eclipsim Græcia docta vocat.

Bartholomæus Paganellus Prignanus, Mutinensis. De imperio cupidinis. Lib. I.

XXIII.

FORMICA.

Dum Venus, et Veneri, positis, Mars gratior, armis,
gramineo fessus dormit uterque solo;

irrupit tunicas Divæ Formica latentes,
    et teneras rigido vellicat ore nates.
Icta Venus clamat: somno Mars excitus arma
    corripit, et nudo nescius ense micat.
Aspiciens cœlo, qui conspicit omnia, Phœbus,
    est ratus in Venerem stringere tela Deum.
Convocat auxilio Superos. Descendit Olympo
    Jupiter armatus; venit et alma Ceres.
Territa securo Formica reconditur ano;
    atque iterans morsus, spernit ab arce Deos.
Flet Venus; educit morsu Formica cruorem,
    viscera purpureo sanguine tincta rubent.
Quid facient Superi? sunt ignea tela Tonantis
    irrita; Gradivi nil opus ense Dei.
Eccè Priapus adest. Solus tulit ille salutem:
    apta ministerio mentula sola fuit;
quam Deus hortorum Veneris dùm fixit in anum,
    è culo hærentem traxit ab ore feram.
Candida quæ fuerat, Veneris madefacta cruore,
    mentula purpuream servat in ore notam.
Sparsa cruore suum mutat Formica colorem;
    hinc rubet, et generi permanet iste color.
Hinc primùm ignotas sedes remeâsse Priapus
    fertur, et aversæ gaudia fœda Deæ.
Rubra que nunc etiàm placidas Formica latebras
    intrat, et immotas non sinit esse nates.

Joannes Casa.

XXIV.

AD PRIAPUM.

Vix caput attollens, innixus robore pomi,
suspicit, undè micat Lucifer Oceano,
et palmas terræ tendens utrasque virenti,
effundit tremulâ talia voce Geron:
Da, pater hortorum, valido me incumbere pene
conjugis in magnæ fertilitatis agrum.
Da, ruber hortorum custos, viridem que senectam,
membra que queis juvenem me probet esse Lyca.
Nam licet ipso animo vigeat vivace libido,
est mihi cum niveis candida barba comis.
Jam virtute tuâ, promptis jam viribus istis,
naturæ vitium, Lampsace, vince, precor.
Et capias asinum, sacrat quem dextra rudentem
debilis, at multùm firma futura citò.
Sic tibi sint pueri semper placidæ que puellæ!
Sic cadat antè tuos victima multa focos.

Jo. Bapt. Pigna.

XXV.

PORTA ANTICA.

Hic edentulus ore hiulco, et exos,
tortis crinibus, antè pendulis que
sinus naribus, et gravedinosis,
lippo lumine, gibber, oscitator,

poppizans, bifidus que, lingulax que,
membranis redimitus involutis,
edax, carnivorus, libidinosus,
nativo que madore delibutus,
et supercilio eminentiore,
et labris miniatulis notatus,
quem si pingere fortè destinâro,
exemplo mihi Θητα suggeretur,
cultor numinis est tui, Priape,
nostri seminis usque devorator.

Cœlius Calcagninus.

XXVI.

PORTA POSTICA.

Iste crispiculus ore turbinoso,
rugosâ cute, luteo colore,
prægravis (mihi crede), buccinator,
colens Cyaneas profunditates,
cui si crebriùs imprimas ligonem,
ficos proferet uberes colono,
multis divitias tulit cinædis.

Idem.

XXVII.

PRIAPUS HERCULES.

Meos labores præfero laboribus
magni Herculis, nec vana me putes loqui:

nam quùm leonem magnus ille vicerit,
ipsi leones plurimos devicimus:
cunnos olentes, horridos que scilicet
clavam vorantes, quantacumque stat mihi.
Aprum subegit alterum ille, aut alterum;
apros subegi plurimos, et horridos
senes procaces, perditos libidine,
setis aprugnis asperos velut sues.
Cervam fugacem, et aureo cornu inclytam
et æreo pede assecutus Hercules
adscripsit inter maxima præconia:
ego diebus penè singulis sequor,
et assequor citos puellarum greges,
eburneo pede, aureis que crinibus
pernicitate provocantes Africos.
Sed nec Caci libidinosis ignibus
desunt feroces, qui auferant meos greges,
et hos quidem aversos in obscuros specus,
quos ipse mox allidam, et opprimam, ut merent.

Cælius Calcagninus.

XXVIII.

IN IMPUDICUM.

Nil amas nisi fœdum et impudicum;
nil placet, nisi quicquid incitare
pruritus queat, et movere lumbos.
Demùm carmina tu soles probare,
quùm scatent natibus que mentulis que.

Sic Summænia, sic probat Suburram,
sic teterrima lustra leno: cunnus
sic suevit benè olere cunnilingis.

Cælius Calcagninus.

XXIX.

LUSUS PUELLARUM.

Quùm Corynthiacæ simul Puellæ
fortè dissererent, et incidisset,
ut fit, quæstio blandula et jocosa,
quo Penis titulo foret notandus,
si certo titulo notandus esset:
prima ex omnibus Illicena dixit
videri sibi Seminale Membrum.
At quantò meliùs, Philænis inquit,
Naturæ et Genii voces Ligonem!
Tum natu Telesilla major: Atqui
ponat quod lubet illa et illa nomen,
hic unus mihi Clavus est Amoris.

Idem.

XXX.

DE PRIAPO.

Quùm vidisset Hylam teneros avellere bulbos,
sic contrà exortâ voce Priapus ait:
Parce meos, fur, parce meos attingere bulbos,
germinet in mediâ ne nate cepa tibi.

Idem.

XXXI.

PRIAPI ADMONITIO IN HORTO BEMBI.

Tu quicumque meum supplex venerare sacellum,
disce priùs, liceat quâ tibi voce loqui.
Namque ea quæ crebro nobis versantur in usu
digna Priapeâ duximus esse notâ.
Esto pepon culus, mihi sit colocyntha cinædus,
cunnus erit malace, mentula crinos erit.
Hæc sint assuetis signata vocabula rebus,
sed tunc hortensi non minùs apta Deo.

Cælius Calcagninus.

XXXII.

IDEM, RUSTICO.

Rustice, quid rides indicta vocabula rebus?
Quid ve putas frustrà me posuisse notas?
Nonne pepon quid sit segmenta impressa fatentur,
dulce que quod medio nectar ab orbe liquat?
Dic ubi flos, oro, colocynthæ innascitur aureus?
Dic, rogo, quid malace mollius esse putas?
Hæc si percipies, nosces tu cætera per te;
si non percipies, Rustice, culpa tua est.
Me verò proceres naturæ numine censent,
me quoque naturæ par puto more loqui.

Idem.

XXXIII.

IN NÆVOLUM.

Vidisti ne unquàm piscem, cui versile nomen?
est Trachus, ut solo nomine notus eat.
Hunc Veneris quùm tangit amor, sibi pellicis uno,
atque subactoris, tempore munus obit.
Sic tibi tam longus penis, tam dira libido,
ut te pædices, Nævole, pene tuo.

Cœlius Calcagninus.

XXXIV.

CHIONE ET STEROPE.

Admisit Chione Steropen vitraria fabrum:
ast ubi succubuit, hei mihi frangor, ait.
Iste levem teneram que gravis rigidus que puellam
tundit, et incudem me putat esse suam.
Tum Steropes: Habitare simul non possumus, inquit:
vitrea vulva tibi, ferrea verpa mihi est.

Balthazar Bonifacius.

XXXV.

SCOPÆ.

Quâ purgas thalamum, scopam vis, Phylli, recentem,
ut cessit longo trita labore vetus.

Nulla mihi superest, perierunt quotquot habebam.
    Mille per assiduum, Phylli, teruntur opus.
Est mihi peniculus tantùm, si sufficit iste,
    quo conclave tuum tergere, Phylli, queas.

Balthazar Bonifacius.

XXXVI.

IN ADULTEROS.

Dispereat quicumque torum violavit Adulter:
    sim licet usque salax, non ego mœchus ero.
Uxorem ducat Fabius, subigat que coactus,
    ipse volens utar pene libens que meo.
Permolat uxores alienas Firmicus; inguen
    scortilli veteris mentula nostra fricet.
Hoc ego sum genio, nec res aliena probatur,
    nec mea; communis res mihi, Galba, placet.
Nec serimus cuiquam, nec ab ullo nostra seruntur.
    Tam malè, Galba, domi, quàm foris hircus olet.

Idem.

XXXVII.

PRIAPUS INERS.

Erucas bulbos que vorat Venerem que medelis
    irritare volens inritat Arrigius.
Pulvino abrotonon subdit: sed testibus hærens
    flaccida rugosis mentula torpet adhuc.
Herba est quâ tactâ decies decies que vir unâ
    luce coire potest, ut Theophrastus ait.

Hanc apud extremos inventam comparat Indos:
sed capularis adhuc languet aluta senis.
Vix unquàm à senio semel interfecta revixit
verpa; cadaveribus nil medicina juvat.

Balthazar Bonifacius.

XXXVIII.

ANUS PROCAX.

Sollicitat juvenem conjux annosa maritum,
pruritum vetulæ qui stomachatus, ait:
Prolixum Vulpem per terram syrma trahebat;
monstrabat culum Simia curta glabrum.
Hæc igitur caudæ partem quæsivit ab illâ,
quæ tamen aversâ reppulit aure preces.
Vult potiùs mea cauda solum converrere, dixit,
quàm tibi callosas perfricuisse nates.
Sic mavult mea cauda salax tentigine rumpi,
quàm tibi rugosas explicuisse plicas.

Idem.

XXXIX.

NASUTUS.

Spectanti nasum *Toucan*, Diodore, videris,
qui rostrum toto corpore majus habet.
Crederis ingenti porrecto pene, Sciurus
qui caudam obtendens, omnia membra tegit.

Idem.

X L.

DE PHYLLIDE SAUCIA.

Isti oculi, ô Corydon, tremulo splendore micantes
nostrum, Phyllis ait, dissecuêre jecur.
Et quoties illos notris obtutibus offers,
plaga recrudescit. Tu pius es, fer opem.
Curatu haud facilis, medicâ haud sanabilis arte
plaga, inquit Corydon, lata, profunda, vetus.
Nec Pæan, nec doctus opem Podalyrius ægræ
ferre potest; animo sed tamen esto bono.
Qui tulit exitium, poterit quoque ferre salutem,
ut tollit virus Scorpius ipse suum.
Vulnera vulneribus magnus sanabat Achilles,
sanat vulneribus vulnera parvus Amor.
Quo plagam obtures dabo, Phylli Πριαπιστκωτὸν,
nec turunda tibi convenit illa magis.

Balthazar Bonifacius.

X L I.

AD DEAM MENAM.

Auctor sordida Mena menstruorum
et præses Dea, subligacula ista,
hæc sudaria attrita, adesa, et istos
tibi dedico fasciarum acervos.
His mensem impia Arachne colligebat,
inter dum calices libidinosa

secum

secum me ad Veneris vocat palæstram.
Ego hæc omnia subligata postquàm
amovi trepidâ manu, repentè
intrà viscera mentulam recondo,
fossas inguinis exterens, cavans que, et
dolans cominùs usque ad umbilicum.
Nec deferbuit ira, et hæc, et illa,
priùs quàm noviès que septiès que
commingo resupinam, et intuentem
transversa, atque acie atrâ et atro ocello;
cum cunno rabiem impiam resolvens
imbrem profluvii expuit cruentum
in pubem que, femur que, coleos que.
Exit vulnere muto de furenti,
et caput ruber, et ruber capillos,
stolatum minio gerens cucullum.
Arachnem impiam et infidelem! acerba
quæ pestis modò, dulce quod venenum
mox edit miserum pedem; fabam que
invasit caries! Et hinc, et indè
scatet vermibus usque perforata.
Opem fer, Dea, fascino pedali,
et marcens vide seminale membrum,
pro quo istas tibi fascias, et ista
subligacula do que, dedico que.

Ælius Julius Crottus.

XLII.

TUMULUS ALLICES MERETRICIS.

Abis, proh dolor! ergò tam repentè,
abis tam properè, heu amantium una
spes, et delicium unum, et una cura:
rumpis tam properè, impia, omnium eheu!
heu! Clotho improba, dirum, atrox que monstrum,
hæc ista aurea licia, aureum illud
vellus incidis, indè ut urbi amarum
afferres gemitum: indè ut imbrium amnes
spectares juvenum ingementûm: et alta
hìnc suspiria, et hìnc graves querelas?
At jaces, misera Allice, et tuum atra
mors pressat caput, haud te amantium alæ
fati surripiunt manu. Interim omnis
fornix lugeat, et fututor omnis,
quicquid que undique, ubique, mentularum est.
Plorate, Oscula blanda, nexa linguis,
Amplexus que hederâ usque nexiores,
et tenax Amor, et sequax Libido.
Ite crinibus undèquaque passis,
Mutones nimiùm licentiosi,
et tumens Faba, Colei que inertes.
En vester periit favor, bona eccè
mors turpi rapuit manu omnium unà.
At quæ tam benè mox movere nôrit
lascivum que femur, nates que molles!
Quæ mox tam lepidè eugè, tam affatim, omnem

intrà viscera mentulam recondet?
seu magis libeat natare, sive
certis ictibus excavare lumbos?
At palles, gelida Allice, tibi omnis
effugit Venus, et Charis recessit.
Huc, huc currite jam, miselli amantes,
hoc marmor rigidâ rigate tensâ,
et vestræ Veneri bonum agminatim
omen dicite, coleis apertis.

Ælius Julius Crottus.

XLIII.

SENEX PRURIENS.

Tu me candida, tu puella, tu me
exanguem facis, et teris medullas.
Quid stas? Quid? cape, tange, perge, tracta,
Quid cessas, mea? porge mî labella,
en linguam tibi, da, puella, da mî,
da mî basia mille, quid moraris?
Quidnam mœstula, muta conticescis?
et quid mutula, mœsta conticescis?
An mœres, mea vita, corculum que?
quòd non turgidulo resurgat ore,
qùod sit frigida, passula et tenella,
qùod sit mentula languida: at caveto
posthàc ne, mea, ne, puella, ne, ne,
ne plora, rogo, tange, tange, tracta,
tracta dulciculâ manu, simul que
apprensa digitis tuis tenellis.

Hæc est, hæc manus ista, sunt tui que,
hi sunt articuli. Venus sed eccè
cristatum caput arduam que frontem
attollit magè, perge, tange, tracta.
Ne cessa, cape, tange, perge, tracta.
En crescit digitis, tumet manu que,
jam non passula, non, sed integella est,
jam non mentula, sed rubens Priapus,
Hellespontiacus rubens Priapus.
Dulces articuli, manus tenellæ!
hi sunt, hi digiti, Venus, manus que.
Hæc est, ne dubita, Venus, puella, est.
At rides? face, porge mî labella;
en linguam tibi, lingulam resuge.
Adsis ô propior, tuo que nexa
amplexu cita, nudulis que coxis,
nudis inguinibus, genu que nudo
depone ad tenerum femur, facesse...
heu me! me! pereo! miser liquesco!...
pectus dulcius Attico liquore,
femur carius Indicis lapillis!
move candidulas nates, puella.
Pertracta, mea vita, corculum que,
pertracta femur usque, et usque, et usque.
Heu me! me! pereo, fluo, liquesco.
Pertracta niveum fèmur, puella.
Jam non sum meus. Heu! fluo, liquesco!...
Totus solvor in Atticos liquores;
jam cessa, mea, jam, rogo, quiesce.

Ælius Julius Crottus.

XLIV.

AD PRIAPUM.

Hæc liba, hunc benè mentulatum asellum
tibi Murtia victimat, Priape;
et raros hederâ premens capillos,
incendit que faces, manu que lætas
spargit mascula thura per favillas;
orans ter que, quater que, quinquiès que,
ne desit sibi Burtias fututor.
Vorax Murtia et impudica, anus que
suspirat juvenem mutoniatum.
Olli pestis amara pedem inertem
ægris ulceribus subindè inurit;
et summo ad caput usque coleorum
marcens pustula multiplex que et atra
stillat undique et undècumque et usque:
plangit Murtia mentulam cadentem,
et nunc oscula dat, manu que mulcet,
fundens carmina supplici querelâ:
O si convaleat priorem in usum,
cujus inguinibus columna fiam,
extendar que gradu laborioso,
et queam latus excavari ad imum,
tunc esto aureus, aureo que telo
fures cædito in aureo sacello;
audi, Dive, preces, face et rogata
pro nutu modò, Burtiam que asellum

canæ reddito Murtiæ roganti.
Sic nunquàm tibi fur puella desit,
seu puer magè, cui subindè possis
tento scindere podicem pedali.

Ælius Julius Crottus.

X L V.

AD PUELLAS IN SUBURBANUM EXPECTATAS.

Bella Arbuscula, et Ipsithilla bella,
chara mî utraque et utraque hoc et isto
charo charior undècunque ocello,
quæ vos tam mora longa, quæ mora, inquam,
amplexu prohibet meo? Novem horas
has inter violas rosas que hiantes,
sublustri, placidâ, tenellâ in umbrâ
expecto, jam aciem intuendo lassus.
O dulces animi æstuantis auræ,
dulces exuviæ meæ juventæ,
chara Arbuscula, et Ipsithilla chara,
quæ hauritis mihi spiritum ex medullis,
quæ vestris modò spiritum ex labellis
datis mî invicem et invicem refertis,
huc, huc, currite, currite, en supinus,
et potus jaceo, et satur, manu que
deglubo pedem, et usque ad umbilicum
commingo femur, undècunque et indè
pertundens tunicam. Venite bellæ,
bella Arbuscula, et Ipsithilla bella.

Vobis sesquipedalis eccè vena
uni cuilîbet apparat que et offert
septem continuas fututiones.

ÆLIUS JULIUS CROTTUS.

XLVI.

AD PRIAPUM.

Quid est, quid, rogo, Lampsacene Dive,
ira quid mihi tanta, quid minatur?
Heri qui fueram superbus Hector,
nunc sum segnior Hectoris parente.
En qualis lateri meo puella,
en qualis mihi prurit Ipsithilla!
En quæ pectora eburna, quæ papillæ,
quæ statim ad Venerem vocare possent
Tithonum, Priamum que Nestorem que!
Iners sum tamen, et Venus quieta est,
et muto mihi passulus quiescit,
instar fasciolæ, levis que vittæ:
nec tollit caput; at situ senili
languet frigidulus que lassulus que.
At non candidulâ manu, Perylla,
tractasti satis, et super, tuis que
apprensum digitis diù implicasti?
Sed nec dulcia defuêre verba,
at non oscula grata defuêre,
nec lingua humidulis nitens labellis.
Quin et tu tibi mortuum, Perylla,

strinxisti in tenerum femur, diù que
fovisti miserum que coleos que.
Nec rubro tamen horret in cucullo,
sed languet magis, ac magis senellus;
sed stertit tenuis que, lineus que.
Quarè, Lampsaciæ Deus catervæ,
vide quid sibi sentiat Perylla:
vide quid mihi sentiam, Priape,
jam tristis, piger, impotens, salax que:
affer suppetias utriquè utraque.
Sic nunquàm tibi graccalus cerebrum
radat unguibus, aut vetusta cornix!
Sic nexæ tibi floreant corollæ,
et semper tibi sit caput revinctum
narcisso, violâ, rosâ, ligustro!

Ælius Julius Crottus.

XLVII.

AD PRIAPUM.

Tela oculis ciet, et prædatur poma Rodolphus,
dic quonam effugies furta dolos que modo?
Stat mala et teneris uvas decerpere ramis.
Nudus tu armato nuda aperis latera. —
Imponam furi: tergo insidiabor inermi,
culus et iratum noverit esse Deum.

Idem.

XLVIII.

FRAGMENTUM.

Rubescit medio Priapus horto
sepulchrali apio comam revinctus :
et fures abigit manu salaci.

Ælius Julius Crottus.

XLIX.

PRIAPUS.

Felicem undique, et undèquaque, ubique,
Saturno auspice, gemmeam hìnc, et indè
ætatem aurea sæcla quam tulêre !
Hic nudi juvenes, juvenculæ que,
amantes que nurus, viri que amantes,
et senes, et anus catullientes
nudis corporibus ciere pugnas ;
illìc per fora, porticus, theatra,
illìc per que vias, per angiportus,
trusantes videas et hos et illas
crissando et ruderando utrâque coxâ
per cunni latebras, specus que cæcos
mox recondere fascinum pedale.
Hìc coràm patre et omnium coronâ
salax filia mentulam fovere
lascivis digitis, manu que dulci
blandiri, et premere, et deosculari.

At nunc deliciæ jacent supinæ:
et quicquid petitur magis repostum est,
negatum ve magis. Pudor recedat;
matronæ que, nurus que, virgines que,
huc huc currite, quotquot estis, eccè
vestra ad vota Deus, paratus omnes
casus deindè suo subire vestros;
sive Syphilis, aut tumens marisca
carcinomate tabido, ulceroso
deformi aut vomicâ hàc, et hàc, et illàc
fortè obsederit abditos recessus
squallentis barathri et voraginosi.

Ælius Julius Crottus.

L.

AD PRIAPUM.

Floribus halantes hortos, et suavibus herbis
deliciæ domini Roscius ingreditur.
Si pudor est, latè puerum permitte vagari,
et redeat vestris tutus ab insidiis.
Pruritum, et venerem in molles exolve cinædos:
servandus sanctæ Roscius est Cybeli.

Idem.

L I.

PRIAPUS.

Nigrum mihi quòd pectus, et niger vultus,
colore noctis quod cavæ litus cernar,

non solis ardor, non mihi obfuit cœlum.
Bis mille lustris in paludibus fædis
latuit cupressus, undè Rusticus marrâ
secuit Priapum hanc (ut videtis) in formam.
Quod vela matris sustinuit ratis Pyrrhæ,
et tot procellas æquorum tulit lignum,
ventis, et undis huc et huc diù trusum,
quiete partâ, candidâ sedet pace,
damnat que votis. Proh! hominum fidem et Divûm!
Metuendus oritur ex olido Deus frusto.

ÆLIUS JULIUS CROTTUS.

L I I.

AD PRIAPUM.

Poeta quidam herniosus et salax,
cinædulorum ubique stipatus grege
nostros per hortos hìnc et indè cursitans
apium, papaver, lilium, thymum, rosam,
ficus et uvas improbâ legit manu,
et omne pedibus atterit ruris decus.
Quid est, Priape? cur trahi et rapi sinis,
custos iniquus, et parùm fidus, bona
heri tibi fidentis? Ah! ah! jam scio,
pathicissimis cirratulis raptus siles.
Sybaritides poeta perditus tacet.

Idem.

LIII.

PRIAPUS.

Incestum facinus piaculum que
committo Deus, (haud pudet fateri),
sed cogor tamen hanc notam subire.
Turmatim veniunt et hinc, et indè
obscœnis canibus salaciores
Vestæ (censeo) virgines dicatæ:
hæ totâ mihi nocte prurientes
extorquent manibus gravem ligonem,
atque arvi genialis has, et illas
mariscas que fricant, dolant que ficus,
et cunni rabiem terunt voracis.
Eccè quàm macer, exfututus ac sim,
modò qui petulans obesulus que
lumbis luxuriabar his et istis.
Verùm, (si pudor est) Deæ ministræ,
aut vos desinite esse tam procaces,
aut antris uteri cavis receptum est
quicquid, graminibus malis que succis
ne saltem jaciatis in latrinas.

Ælius Julius Crottus.

LIV.

AD BELLINUM.

Aquilex Priapus iste de quercu asperâ
modò excavatus ac dolatus in Deum,
in quem jocatus es numeris parùm probis,

hæc me rogavit nomine ut scribam suo.
Poeta semis, ganeo, et tenebrio,
tribulis coronande, et sterilibus cochleis,
quid me canatim versibus mordes tuis?
Si fors in istas te deduxerit plagas,
deprensus, affatim hîc mihi pœnas dabis.
Hæc ista querna, sexquipedalis mentula,
telum hoc cruentum, terribilem quod me facit,
tete feriet in puppim; et capulo tenùs
intrabit intrà viscera, ut culus fuat
mox bulga lacera, perforata, sordida.
Quarè monitus huc usque posthàc desine
lædere Priapum versibus malis, eas
nequandò laxo, et exfututo podice,
poeta pathice, foraminate funditùs.

Ælius Julius Crottus.

L V.

DE PRIAPO.

Candida præbuerat nudo Romana Luperco
terga Chloe, zonâ percutienda levi.
Nupta, quid, inclamat toto ruber ore Priapus,
quid facis? iste decet balteus, iste magis.

Idem.

L V I.

PALLAS ET PRIAPUS.

Ingressa est olim Phrygii pomaria regis
quam peperit gravido Diva Pater capite.

Hanc videt, hanc niveæ custos per vincula pallæ
    et capit, et captæ voce Priapus ait:
ingressa es, graderis que meos lasciva per agros,
    nec tituli servas jura, Puella, tace....
Vim parat. Illa levi sublatâ ad sidera dextrâ,
    prætecta hàc jaculo, hàc ægide bella ciet.
Subrisit Deus, et mediâ de parte paratus,
    en, ait, hæc mea sunt tela, puella, veni.

Ælius Julius Crottus.

LVII.

ALLEGORIA.

Qualis flos violæ, seu purpurei hyacinthi
    demittit pressas rore vel imbre comas,
mox que idem radiis solis tepefactus amici
    attollit multo lætus honore caput;
talis cum nimiâ pluviâ madefacta jaceret,
    quæ viret in pratis menta pusilla meis,
protinùs ut dominæ est dextrâ tepefacta calenti;
    sustulit è niveo caudice læta caput,
et, quanta est, sese erexit, solitas que resumpsit
    vires, delicias explicuit que suas.
Sensit, et heus! inquit ridens domina, haud mihi posthàc
    languida, cum tantùm hæc dextera possit, erit.

Toscanus.

LVIII.

CONGRESSUS GALLI CUM DEIOPEIA.

CENTO VIRGILIANUS.

Incipe Mænalios mecum, mea Tibia, versus;
pergite, Pierides, Galli dicamus amores.
Fortè die, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, auratus taurino cornua vultu,
populeas inter frondes lucos que sonantes
dum canit, et mœstum musâ solatur amorem,
longè illi mediâ se se tulit obvia sylvâ,
causa mali tanti, pulcherrima Deiopeia.
Agnovit juvenis divini signa decoris;
obstupuit primo aspectu, et vox faucibus hæsit.
Ut primùm fari potuit, sic incipit ore
suspirans, imo que trahens à pectore vocem.
Cara Deûm soboles, animo gratissima nostro,
quam nec longa dies, pietas nec mitigat ulla,
sola ne perpetuâ mœrens carpêre juventâ,
jam matura viro, Veneris nec præmia nôris?
Utere sorte tuâ, nimiùm ne crede colori,
omnia fert ætas; fugit irreparabile tempus.
Alma, precor, miserere animi non digna ferentis,
ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Vix ea fatus erat, veluti violaverit ostro
si quis ebur, tales virgo dabat illa colores:
dejecit vultum, et demissâ voce locuta est:

Desine me que tuis incendere te que querelis.
Quam pro me curam geris, hanc, precor, optime, pro me
deponas; toties jam dedignata maritos,
mens immota manet, solâ contenta Dianâ:
certum est in sylvis, inter deserta ferarum
malle pati, incœptum frustrà submitte furorem.—

Illum turbat amor magis, ægrescit que medendo.
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:

Degere more feræ quæ te dementia adegit?
Vana superstitio in dumis coluisse Dianam,
æternum telorum et virginitatis amorem.
Tu ne tot incassum fusos patiêre labores?
Quin potiùs miserere: mori me denique coges.
Accipe da que fidem, quoniàm convenimus ambo....
Vis ergò inter nos quid possit uterque vicissim
experiamur?.....
Et me Phœbus amat; si quid mea carmina possunt,
semper honos, nomen que tuum, laudes que manebunt.
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
huc geminas nunc flecte acies, res aspice nostras.

Telum immane, manu validà quod fortè gerebat
eripuit mulcens, quo non præstantius ullum
Europâ atque Asiâ, visu mirabile monstrum,
horrendum, et cui turpe caput, cui plurima cervix,
consertum tegmen spinis, prolixa que barba,
et crurum tenùs à mento palearia pendent.
Tantæ molis erat!—Me ne huic confidere monstro?...—
Tantùm effata silet, lacrymas que effudit, et omnem
implevit clamore locum, et tremefacta refugit,
improvisum aspris veluti qui sentibus anguem

pressit

pressit humi, retrò que pedem cum voce repressit.
Ille autem pariter cursu telo que secutus,
siste gradum, quò deindè ruis? quò proripis, inquit?
nunquàm hodiè effugies; veniam per tela, per ignes:
nullæ hìc insidiæ, terram, mare, sydera juro;
nec vim tela ferunt. — Tereti cervice reflexam
insequitur, jam jam que manu tenet, et premit hastâ.
Evolat infelix, et, fœmineo ululatu,
scissa comam, mœstis latè loca questibus implet.
Ille, quis et me, inquit, miserum et te perdidit error!...
Sis bonus, ô felix que audacibus annue cæptis,
Nate Deâ, pergit, precibus si flecteris ullis:
ventum ad supremum est, dubiis ne defice rebus;
verùm age, et ultricem pharetrâ deprome sagittam.—
Vix hæc ediderat, cœli in regione serenâ
intonuit lævum, sonat unà lethifer arcus:
nulli visa citò, per que ilia venit arundo,
pertentat que animos atque ossibus implicat ignem.
Improbe Amor! cui tanta Deo permissa potestas?
Non equidem invideo; miror magis. Aspera virgo
continuit que gradum, subito que accensa furore,
incipit effari: Sequimur te, sancte Deorum,
quisquis es; en supplex venio, jam vivite, sylvæ.
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
Huc ades, ô formose puer, jam tempus agi res;
do quod vis... sed res animos incognita turbat:
quidquid id est, timeo... hunc, oro, defendes furorem.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
Testor, cara, Deos, nihil illo triste recepto:
carpe manu, namque ipsè volens facilis que sequetur.

Audentes fortuna juvat. Quis talia demens
abnuat ? — Atque animum præsenti pignore firmat.
His dictis, curæ emotæ : venerabile donum
fatalis virgæ, monumentum et pignus amoris,
dulcibus illa quidemille cebris lasciva puella
miratur que inter que manus et brachia versat;
expleri mentem nequit, ardescit que tuendo.
Tum verò exarsit, juveni que arrecta cupido,
pellis et ad tactum tractanti dura resistit.
Incipiunt agitata tumescere turpia membra;
spiritus intùs alit, totam que infusa per artus
mens agitat molem; surgens caput altiùs effert.
Ille manum patiens et tanto lætus honore
stare loco nescit, subitâ spe fervidus ardet,
lætitiâ exultans, et verberat ictibus auras.
Illa quidem jam dudùm arcu contenta parato
tela tenens, lacrymis oculos suffusa nitentes :
Desine plura puer, et quod nunc instat, agamus. —
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repentè
hoc erat, hoc, inquit, votis quod sæpè petivi! —
Sic fatus duplicem ex humeris rejecit amictum,
pandentem que sinus et totâ veste vocantem
corripit in nodum complexus, et angit inhærens,
telum immane manu quatiens, opera omnia rumpit,
componens manibus que manus, atque oribus ora,
pectora pectoribus.... Procul, ô procul este, profani;
majus opus moveo...... Direptis crura cothurnis
dissiluisse ferunt : foribus domus atra revulsis
panditur, et Caci detecta apparuit ingens
regia, et ingentem lato dedit ore fenestram :

sponte suâ umbrosæ penitùs patuêre cavernæ.
Hìc labor ille domûs et inextricabilis error;
hìc spelunca fuit, vasto que immanis hiatu,
horrida, quam densi complerant undique sentes.
Intùs aquæ dulces, mellis cœlestia dona.
Ergò iter incæptum peragunt, atque oscula figunt,
nescio quâ præter solitum dulcedine læti;
sibila lambebant linguis vibrantibus ora:
continuò que avidis ubi subdita flamma medullis,
idem omnes simul ardor agit, pariter que laborem
sortiti: teneris tepefactus in ossibus humor
æstuat; et liquido distendunt nectare cellas.
Tum verò ardentes oculi, atque attractus ab alto
spiritus auditur gravior, tractìm que susurrant
cum gemitu; subitò non vultus, non color unus,
non comptæ mansêre comæ: moritura puella,
sanguineam torquens aciem, maculis que trementes
interfusa genas, delibans oscula, fatur:
O mihi præteritos referat si Jupiter annos,
dum te, care puer, mea sola et sera voluptas,
complexu teneo, tecum consumerer ævo:
nunc scio quid sit amor, sanguis meus.....—
Hæc ait, et liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
atque huic responsum paucis ità rettulit heros:
Extinxti te me que, soror. — Nec plura locutus,
dentibus infrendens, flammantia lumina torquens,
atque hìnc atque illìnc immania terga resolvit:
extremos que ciet gemitus: tum lucidus anguis
concidit, et mistum spumis vomit ore cruorem.
Hei mihi! qualis erat! quantùm mutatus ab illo,

10.

cervicem inflexam posuit, jacuit que per antrum,
et frontem obscœnam rugis arat, omnis et unà
dilapsus calor atque immundus olentia sudor
membra sequebatur: facto que hìc fine quievit.
Desine Mænalios, jam desine, Tibia versus (1).

Lælius Capilupus.

LIX.

AD JOANNEM VERONENSEM.

Membroso tumidum qui formas ore Priapum,
parce meas labris contemerare genas.
Quid juvat heu! mundæ parcat quòd mentula buccæ,
fellator labris si quoque fio tuis?

Hieronymus Balbus Venetus, episcopus Gurcensis.

LX.

IN EUNDEM.

Quisquis erit solvens Thebana enigmata, dicat,
qui sine pene viros irrumat ore, quis est?

Idem.

LXI.

AD FRANCISCUM.

Tanta tibi laus est inflati et gloria penis,
cedat ut Arcadii mentula tenta Dei.

(1) Vid. Part. prim. pag. 58.

Ille riget ferro, nodosâ et durior ulmo;
ille hastà crescit longior Hectoreâ.
Ille suas agitans stillanti rore palæstras,
Penelopen Veneri mollit et Hyppolytum.
In senium vergens, Custos membrosus agelli
te vocat ad partes pene rubente tuas....
Sed, puto, respondes, quid vis, pater optime? Fures
non premere hoc telo, sed soleo elicere.

Hieronymus Balbus Venetus, episcopus Gurcensis.

LXII.

AD NANUM MENTULATUM.

Parva manus, digiti que breves, et colla minuta,
et par est tereti gurgulione caput.
Venter formicæ, testudinis ora, genæ que,
et corpus minimo est pumilione minus.
Sed tamen Hectoreâ tibi mentula longior hastâ
turget, et inflato vertice semper adest.
Quàm benè commisit solers natura! negavit
quod reliquis membris, mentula sola tenet.

Idem.

LXIII.

IN PUELLAM PALLESCENTEM.

Aliba virgo, febri (nam palles) fortè laboras?
Parva potest morbum pellere menta tuum.

Omnibonus Rigottus.

LXIV.

PRIAPUS, PAPYRUS.

ANAGRAMMA.

Nostras nolebam chartas monstrare Priapum.
Quis vitare queat? Nuda Papyrus habet.

OMNIBONUS RIGOTTUS.

LXV.

DE CUPIDINE.

Arma rogabat Amor Vulcanum factus inermis;
cui faber: In matrem dem ne, ait, arma tibi?
Exagitas etiàm tanquàm ferus hostis et illam:
hâc Veneri ut parcam conditione dabo. —
Tunc puer: Illa meo non ampliùs indiget arcu;
nuda quidem tractat Martia tela parens.

FAUSTUS SABÆUS.

LXVI.

NYMPHÆ ET PRIAPUS.

Vinctum adducebant Dryades, tumidum que pudendâ
parte Deum hortorum, lætæ et Hamadryades.
Dum festinarent trepidæ cecidêre, Priapus
his super irato pene timendus erat.

Et quùm jam liber palmis ad tela paratus
per medium teneras scindere vellet eas,
excutiunt, et quæ captivum in vincla trahebant,
vix salvâ effugiunt virginitate Deum.

Faustus Sabæus.

LXVII.

PRIAPUS, E GRÆCO.

Quid mihi das vitio, nostrum si est inguen apertum?
Num sua tela Deos tecta tenere vides?
Intueare Jovis manifestum fulminis ignem;
nec tibi in occulto est, Ennosigæe, tridens.
Mars que cruentatum quo fulminat, indicat ensem,
armigeræ et cunctis Pallados hasta patet.
Aspice inauratis Phœbum gaudere sagittis;
celatam nec enim Delia fert pharetram.
Non pudet Alcidem clavam ostentare trinodem,
nec virgam occultam subdolus Arcas habet.
Intextos foliis thyrsos et detegit Evan;
ventilat atque faces imperiosus Amor.
Hoc insigne meum est, nullum hoc magis utile telum;
si Superi arma gerunt, numquid inermis ero?

Idem.

LXVIII.

DE DRACONE

Est Draco formosus juvenis, verùm Draco quùm sit;
quonam alium colubrum suscipit ille cavo?

Idem.

LXIX.

DIOGENES CYNICUS.

Diogenes Veneris tactus prurigine, nuptæ
    quæ fuerat populo, sollicitabat opem.
Labentis frustrà Cynicus (tardabat amica)
    temporis impatiens dextrâ hymenæa canit.

Faustus Sabæus.

LXX.

MULIER DECEPTA.

Naso truncus erat Lepidus, cui Fannia nupsit,
    quid mihi cum naso, Fannia dixit, erit?
Illum sed postquàm truncum videt esse mutone,
    exclamat dicens, quid mihi cum Lepido?
Ast hic: Cur quereris? truncavi, Fannia, nasum,
    ut de me posset fœmina nulla queri.

Gerardus Dicæus.

LXXI.

AD SULPICIANUM

Te plantare piros delectat, Sulpiciane:
    me plantare viros, Sulpiciane, juvat.

Idem.

LXXII.

PUPPIA.

Dum primâ sese commiscet nocte marito,
 et patitur femini vulnera grata suo,
conqueritur graviter de parvo Puppia telo,
 ô quantùm, exclamans, spes mihi vana fuit! —
Dic, age, cur quereris, vir ait, dulcissima conjux,
 lux mea, quænam spes sit tibi vana refer. —
Ast hæc respondit: Quoniàm te vincit asellus
 quilibet, ô soli fata maligna mihi!

Gerardus Dicæus.

LXXIII.

IN ANUM.

Huc, huc, Jambi, arripite mî jam mordicus
anum hanc furenti percitam libidine,
tentiginosam, catullientem, spurcidam,
gravedinosam, vietam, olentem, raucidam,
cadaverosam, fronte rugosâ, comâ
canâ atque rarâ, depilatis palpebris,
glabro supercilio, labellis defluentibus,
oculis rubentibus, genis lacrymantibus,
edentulam que (nî duo nigri et sordidi
dentes supersint) auriculis exsanguibus,
flaccis que mucco naribus stillantibus,

rictu salivâ undante, tetro anhelitu,
mammis senectâ putridis, prægrandibus,
araneosis, deciduis, inanibus,
laxo que ventre, dissipato et fissili,
cunno ulceroso, verminante podice,
natibus que macris, aridis et osseis:
utroque sicco crure, utroque brachio,
talo, genu que utroque procul extantibus,
calcaneo que pernionibus gravi:
ut nil sit aspernabilius, nil tetrius,
monstrosius que aut nauseabundum magis;
quam pistor olim, caupo, calo, bajulus
et institores et lanius, et carnifex,
et muliones permolebant, et coci,
ceu prostitutam sellulariam meram;
nunc nemo jam vult visere, nemo colloqui;
fastidit unusquisque et habet ludibrio
anum subante perditam prurigine:
sed ardet impudens tamen, ardet impudens,
procax, proterva; nec jam anus, sed mortua,
utcumque prurit (prurit autem jugiter)
se postulare ut comprimam, sibi ut arrigam?
quasi ipse verres, quasi asinus sim, vel canis.
Abi hìnc, abi, anus, in maximam malam crucem:
abi, scelesta, obscœna, sive vera anus,
seu terriculum es, seu larva bustuaria.
Nam si optio mî detur, ædepol magis
scrofam futuam, quàm te, vel asinam, vel canem.

Angelus Politianus.

LXXIV.

IN PUELLAM

A sene et ab eunucho dilectam.

Infelix Paolella, procis malè functa duobus!
hic sine pene senex, testibus ille caret.

Andreas Pauli.

LXXV.

IN SAULUM.

Cum tua te facies et Hebræum nomina clament,
cur genus intendis, Saule, negare tuum?
Testibus id magnis, stulte, infirmare laboras?
Tolle procul testes: mentula sola probat.

Franc. Apostolius.

LXXVI.

PRIAPUS DISPAR.

Cœlius et Rhesus, Latiæ duo lumina terræ
junguntur parilis fœdere amicitiæ.
Nec magis Hopplæum Dimas, Patroclus Achillem,
Damonem Pythias, Thesea Pirithous
dilexit, quàm se simul amplexantur, amant que,
ut nunquàm concors sit violata fides.
Est etiàm similis facies, caput, os, animus que,
ars quoque et incessus, dicta que facta que sunt.

Scomma, joci, rixæ, voces, furor, otia, risus,
atque simul visam depereunt dominam.
Finxisset natura duos discrimine nullo,
ni dispar illis inguinis hasta foret.

Hieronymus Catena.

LXXVII.

MACARONICA, AD FAUSTUM.

Uxorem multi, multi que tenere putanam,
hoc equidem nostro tempore, Fauste, solent.
Sed paucos castam retrovamus degere vitam,
et raro sanctâ virginitate frui.
Scire cupis causam? Largam lascivia stradam,
virginitas strettam sed tenet ipsa viam.
Hinc est quòd multi campagnam currere largam,
semita sed pauci currere stretta volunt.

Magistri Stoppini, (id est, Cæsaris Ursini) capricia Macaronica.

LXXVIII.

DE MULIERUM CAUDA.

Quid diavol! hanc mundo bellam catavit usanzam,
gaudeat ut mulier ferre superba coam?
Fœmina quæque suam vult caudam more pavonis
quæ sua sub longo tegmine crura tegat.
Nullus adhuc vestem, nullus facit, Albe, gonellam
quæ non sit caudâ condecorata suâ.

Diligit an tantùm pomposam fœmina caudam,
illam quòd secum semper habere bramet?
Quidni? Non patitur mulier sinè vivere caudâ:
hanc antè, hanc retrò nocte die que gerit.

Magistri STOPPINI, (*id est*, CÆSARIS URSINI)
capricia Macaronica.

LXXIX.

CLAVIS.

In die Dominico, gambis dum staret apertis
suprà sedens portam bella Zanina suam;
eià, superveniens vir dixit, claude botegam;
hæc est nam festo clausa tenenda die.
Illa sed, hic error, respondit prompta marito,
est tuus, et solus tu puniendus eris.
Namque tibi nostram toccat serrare botegam,
qui clavem portas tempus in omne suam.

Idem.

LXXX.

ZINGARA VERAX.

Zingara jam cupiens quædam mihi dicere sortem,
sub quâ vita fuit, mortis et hora meæ,
te in fossam, dixit, cascando rumpere collum,
corpus ibi que tuum fata perire volunt.
Zingaricas nosco nunc veras esse parolas;
fossa brevi sponsæ nam mihi cunnus erit.

Idem.

ANONYMA.

LXXXI.

FRAGMENTUM SATYRÆ,

Cui Titulus : Hiero-Mastix, *aut Dí vestram fidem.*

Quid quos in vetitum stimulis instigat amoris
improba vis, adigit que modum transire pudoris ?
Horum annonâ hominum non est fœcundior ulla.
Permolit ille lupas olido pro fornice stantes,
perreptat que omnem mediâ de nocte Suburram :
libertos alius libertinas que supinat.
Ille super cunnum corruptor palpitat album,
et matronarum thalamos invadit adulter,
hæredes que nothos aliena in prædia mittit.
Ille amat implumem, qui plurimus error, Alexin,
præ que uno, cunctas Amaryllidas odit, Alexi.
Bardinus cum jam vitio atque ætate senectâ
cerneret arquatus silices; nec surgeret ulla
vena salax, manibus tractare trementibus albas
gaudebat clunes, digito et penetralia verpo
rimari, lassum que equitem, atque in prona cadentem
admissum frustrà solo pascebat odore.
Haud impunè quidem : nam sic divisus ephebus
(lanea quod jussit Nemesis) cava tempora fuste
divisit misero, sparsit que infame cerebrum.
Quid sene putidius puero ? Jovianus amabat
usque tamen cædi cariosas grandior hillas :
cum que olim excrêssent, aliàs ut sæpè, mariscæ,

jam que recisurus Gorgias afforet, ille
celari cupiens, ut quondàm Phasidis ales,
occuluit caput, et strati se tegmine clepsit.
At simul ac imi rejecit stragula lecti,
antiquas quę nates et ficos vidit hiantes,
extemplò medicus ridens ait: at Joviani
hæc pyga est; nosco manuum monumenta mearum.
Quid memorem sanctis quos non immeiere templis,
et sacra viticei pudet incestare cubilis?
Romanos Baptas? Romana Cotyttia? Gallos
fœcundos? Albana sacra, et Quinquatria Flavî!
Linigeros mœchos? templa et lenonia Vaccæ
Niligenæ? ventrem cædentes pene Lupercos?
Pollutas vittas et casta sacraria vittæ!

LXXXII.

QUÆSTIO.

Urbe tot in Venetâ scortorum millia cur sint?
In promptu causa est. Est Venus orta mari.

LXXXIII.

DE OCTAVIA FARNESIA

Minùs habili juncta juveni, sic canit Pasquillus.

O tu quæ nimiùm juveni malè juncta puella es,
quid facis in solo, nocte silente, throno?
Ut reor, ipsa doles, quòd sit tua messis in herbâ,
et cruciat mentem mentula parva tuam.

LXXXIV.

FAUNUS AD NYMPHEUM FLUVIUM.

Quid tibi nobiscum, fluviarum infamia, Nympheu?
  Flecte aliò cursus, perniciose, tuos.
Flecte procul, remove que meo vestigia luco:
  impurum sacrâ non decet ire vià.
Quantùm Bajanas fregit lascivia villas,
  criminis articulus pars que pusilla tui est.
Huc veniunt mixtæ pueris de more puellæ,
  in que tuis positâ veste natatur aquis.
Lusibus intereà duxisse procacibus horas,
  nequitiâ que juvat continuare diem:
cum que libet, mediis passim junguntur in undis;
  lascivum femori conseritur que femur.
Tu tamen hæc pateris, nec te mea numina tangunt,
  antè oculos fieri turpia probra meos.
Quin etiàm si quid specto, et spectare necesse est,
  illi se improbiùs liberiùs que petunt.
Permolitur puero que puer, pacti que vicissim
  obscœnos agitant nostra per ora modos.
Me que vocans udâ media inter suavia linguâ,
  crissat ab imposito fixa puella mare.
At mihi tum mediæ saliunt tentigine venæ.
  surgit, et in cornu spina recurva suum.
Omnia sed parvi facerem tamen; hoc mihi magno est,
  hoc dolet, hoc æquâ non ego mente fero.
Adsueti longâ cum sint in crimina culpâ,
  concubitus fugiunt quâlibet arte meos.

Sive

Sive Lycam puerum cœpi mollire precando,
seu tacitus, quà se fert Telesilla, sequor.
Ille preces non audit amantis, at illa sequentem
prævolat, et tardum ludit, ut aura, senem.
Non tu parva meo præbes alimenta furori,
amnis mœche, et vos insidiosa vada.
Nam neque nos olidi vincunt pruritibus hirqui,
nec sum Lampsacio castior ipse Deo.
Quòd si me Cybele curat justissima mater,
quam penès est bruti fas que nefas que soli,
invisi latices, fundo pereatis ab imo,
vos que petant sicci, trajiciant que pedes.

BELGÆ.

LXXXV.

DE FLACCO.

Jejuno Veneris ruit in certamina pene,
et queritur Flaccus se nihil efficere.

DOUZA.

LXXXVI.

IN CINNAM.

Cur quoties bipedem te dicere cogor Asellum,
(cogor enim, cum te, quod sumus, esse putas.)
Notum, Cinna, negas bipedis tibi nomen aselli?
Insanis: asinus totus es ipse bipes.

Hoc cum voce color, quas et nimis arrigis aures,
hoc mens, hoc Asino mentula digna probat.
Si tamen ignotum bipedis tibi nomen Aselli est,
quid mirum? nec enim notus es ipse tibi.

Douza.

LXXXVII.

IN ROSILLAM.

Cum blandam properans mihi salutem
nuper dicere, *mens*, Rosilla vellet,
salve, *mentula*, voce lapsa dixit:
risi; risit et illa, me que tantùm
non loquente redarguens ocello,
quid rides, ait? An quòd evolante
fortè *mens* mihi diminuta voce est?
At me nil temerè scias locutam:
nam si labra, cor os que grata per se
diminutio gratiora reddit,
cur non et mihi jus sit hanc minutam
vocem reddere, Douza, quæ placere
ulli ritè nequit puellularum,
amicâ sinè diminutione.

Idem.

LXXXVIII.

AD IDAM.

Te cunnulum quòd, Ida,
nuper meum vocavi,

hoc si nimis licenter
dictum tibi videtur,
me mentulam vicissim
voces tuam licebit.

DOUZA.

LXXXIX.

DE UXORE ET AGRO ARATI.

Uxor ager que mei steriles visuntur Arati;
quid mirum? Neuter, quo fodiatur, habet.

Idem.

XC.

JOCUS.

Bellè convenit inter elegantes
Diones famulas et eruditos
antiquæ Themidis meos sodales.
Nos jus justitiam que profitemur:
illæ semper amant colunt que *rectum.*

ÆZEMA.

XCI.

PRIAPUS.

Dum sua formosis conniveo furta puellis,
audaci falcem surripit Issa manu.

Non ea formosis ignoscam furta puellis;
sed neque formosis adnumeranda venit.
Ergò, quæ dempsit, mihi protinùs arma reponat,
aut alia irati sentiat arma dei.

Grudius Nicolaius.

XCII.

BASIUM.

Quid vultus removetis hìnc pudicos,
matronæ que, puellulæ que castæ?
nulla hìc furta Deûm jocosa canto,
monstrosas ve libidinum figuras,
nulla hìc carmina mentulata: nulla
quæ non discipulos ad integellos,
hirsutus legat in scholis magister.
Inermes cano basiationes,
castus Aonii chori sacerdos.
Sed vultus adhibent modò protervos
matronæ que, puellulæ que castæ,
ignaræ quià fortè mentulatum
verbum diximus, evolante voce.
Ite hìnc, ite procul, molesta turba,
matronæ que, puellulæ que turpes.
Quantò castior est Neæra nostra,
quæ certè sinè mentulâ libellum
mavult, quàm sinè mentulâ poetam?

Janus Secundus.

XCIII.

AD GRAMMATICOS.

Dicite, Grammatici, cur mascula nomina Cunnus,
    et cur fœmineum Mentula nomen habet.
Sic ego: sic aliquis senior de gente verendâ
    rettulit, attollens longa supercilia.
Mentula fœminei gerit usque negotia sexûs;
    indè genus meritò vindicat illa sibi.
Indefessus agit res qui sinè fine virorum,
    mascula non temerè nomina cunnus habet.

JANUS SECUNDUS.

XCIV.

EPITHALAMIUM FESCENNINUM AD PRIAPUM.

Saltûs fœminei bone
cultor, ô Veneris genus,
qui matres pueras facis,
qui facis pueros vivos,
  Hellespontie Dive.

Excitus precibus ratis,
perge linquere Lampsacum,
et telum cape, lætus huc,
huc volens ades et valens,
  Hellespontie Dive.

Qualis cum Paridis bonæ
cognitus bone fœminæ es:
qualis cum Veneris tuæ
Marspiter coluit agrum,
Hellespontie Dive.

Ad lectum dominam trahe,
vulneris timidam novi,
ad lectum dominum lace,
prælii cupidum novi;
membrosissime Dive.

Nil sponsus sinè te potest,
quod probent socer et socrus;
et friget sinè te Venus;
ergò quod cluis hoc sies,
membrosissime Dive.

Tu nuptis decus unicum;
qui tuis careat sacris,
nullam pacem habeat thorus;
nulla prolem habeat domus,
Hellespontie Dive.

Nupta, quò fugis? hem tibi
stulta quod cupis, hoc cape,
et vanos remove metus.
Namque dulce periculum es,
Hellespontie Dive.

Just. Lipsius.

ANONYMA.

XCV.

IN BAUDII JACTANTIAM.

Prævalidum Paphiis que parem se lusibus inquit
 Baudius, ut possit fœmina nulla queri.
Et ramale seni, juveni quod defuit olim;
 arma que Lampsacio suspicienda Deo.
Sed nequit incanum femoralibus abdere mentum;
 arguit hoc isthìc fortè latere nihil.
Asserat hæc veri præco? sed callida solùm
 ridet, et hìc testes poscit Hyella duos.

GERMANI.

XCVI.

AD AMICUM.

Hæc tibi poma meo pauper de rure Priapus,
 has tibi servavit, dulcis amice, nuces.
Nil mihi lascivæ reliquum liquêre puellæ,
 quæ nimis huc audax insiliêre cohors.
Non resupina tamen tulit hoc ignavia damnum:
 custodis nocuit strenua virga Dei.

EURICIUS CORDUS.

XCVII.

IN MASTURBATOREM.

Aspicis hunc, Lyce, mendicum, mancum que, brevem que,
 una cui, sed et hæc demutilata manus?
Solus in hâc pollex, qui que illi proximus index:
 desecuit reliquos Martius octo chalybs.
Ne contemne virum; nihil est crudelius illo:
 complures homines perdidit his digitis.

Euricius Cordus.

XCVIII.

AD AMŒNUM.

Exutis Monachos vidi saltare cucullis
 inter convivas nuper, Amœne, lupas.
Nudos dixisses sua reddere sacra Lupercos,
 ni quòd pro februâ mentula pelle fuit.

Idem.

XCIX.

DE MONACHO

Cui Scrofæ (Truye) *cognomen.*

Ex alto mediâ suggesto cæpit in æde
 plebi sermonem dicere Scrofa suæ.
Cum que Lutheranos ferus inveheretur in hostes,
 fracta pedum strepitu per tabulata ruit:

subtrusis que togis imam delapsus ad alvum,
ridiculum nudâ pube pependit onus.
Imposuit falso mendax cognomine frater:
Arcadicum verres cuspide vicit aprum.

Euricius Cordus.

C.

ITYPHALLUS.

Heus tu, præteriens viator, heus tu!
nosti versificem cedo ne Cordum,
tristem grammaticæ scholæ magistrum,
quà turrita foro minatur ædes,
et grandi tremefacta mugit ære?
Hic illum sibi nuper emit hortum,
et jussit sua poma me tueri,
quo nil munere durius subivi.
Tot furtum faciunt mihi puellæ,
queis nulli mea tela sunt timori,
quantumvis miner et luant prehensæ:
imò plus veniunt ob hasce pœnas,
quàm quòd surripiant. Age, ergò vade
ipsi dic Domino meo poetæ,
si quid vult reliquum quod indè carpat,
ut castret faciat que me spadonem,
et tutam misero ferat quietem;
aut tanti socium Lupum laboris,
quamvis rancidulum Senecionem,
alternis mihi subroget diebus.

Idem.

C I.

ÆNIGMA.

Sexûs dictio parva fœminini
sexûs me facit esse masculini.

Lauterbachius.

C I I.

PANIS, PENIS.

A Pane, exiguo Penis discrimine distat.
Cur? Cerere inconstans nam sinè friget Amor.

Dan. Georg. Morhofius.

ANONYMA.

C I I I.

DACTYLUS.

Dactylus antiquus
non est mulieris amicus.
Frangitur ut stramen,
cum venerit ante foramen.

Nugœ venales.

LUSITANI.

CIV.

IN POETAM CINÆDUM.

Non captare sat est donis tibi, Nævole, draucos?
non perpetrare est turpia quæque parùm?
ni miseras pravis obtundis versibus aures,
ad pædicones quos facis ipse tuos.
quamvis dissimules, aliena que carmina fingas,
ô quàm conveniunt moribus illa tuis!
Fabula narratur de te, ut tua carmina non sint;
sed tua sunt: faceret talia nemo alius.
I, miser, i nunc pædicare mutone pedali;
quidquid vis facias, dum modò non recites.

HERMICUS CAJARDUS.

ANGLI.

CV.

IN PORCIAM.

Displicet in nostro tibi mentula lecta libello;
vis sinè pene librum, non sinè pene virum.

OWENUS.

C V I.

ÆNIGMA.

Dic quibus hoc animal terræ nascatnr in oris,
masculus est mater cui mulier que pater.

Owenus.

C V I I.

PARONOMASIA.

Judicat ex mento, non mente puella maritum:
non mens, at sponsæ menta minuta placet.
Pungi quàm pingi mavult Venus improba; semper
peniculo penem prætulit alma Venus.

Idem.

SCOTI.

C V I I I.

QUID MULIERIBUS PLACEAT.

Nuper pomiferæ arboris sub umbrâ
matronæ, juvenes, puellulæ que,
lascivarum avidi facetiarum,
atque auræ cupidi serenioris,
vitabant rapidos Canis furentis
ardores: variis simul jocis que
læti labile tempus eximebant.
Hìc, ut fit, positâ severitate,
adversam juvenis rogat puellam:

dic quænam furiæ (malum!) tenebant,
cum tot nobilium procos haberet,
Gillam, delicias viro suas ut
tantis criminibus daret notato,
Thrasoni sinè viribus superbo,
loquaci cuculo loquaciori,
qui terris oneri, viris que'probro est,
in quo nil quod ames referre posses:
rubro sanguine rubriore vultu,
læsus lumine, rufulo capillo,
et claudus pede, mente diminutâ? —
Tunc illa ingenio venustiore
se nobis, ut erat, volens probare,
heus, inquit, juvenis, resiste paulùm,
non spectat Veneris nimis sacerdos
os, vultus, habitum, aut comam virilem.
Sunt hæc ludicra, parva sunt, nec ista
curat Gilla.— Quid ergo? — Nempè mentem
illam deperit illa diminutam,
uno nomine mentulam vocamus.

THOMAS METELLANUS.

C I X.

CYPRIS ANADYOMENE.

Sive Epithalamium JANI LAUREOLI, Silesii, et MARGARITÆ PHILISTÆ, Moravæ.

Sivè Pallas bellicosa, seu lavet se Cynthia,
Cœlites videre nudas, non vacat periculo;

Hespero sed occidente, fas erit Jano meo,
cui dedisti, Phœbe, laurum ferre pro cognomine,
fas erit videre divam Margaritem nudulam :
Margariten inter omnes Moravas pulcherrimam,
Lælio venustiorem, læviorem tubere:
Troio qualis Bubulco Cypris olim apparuit,
jure candidata pomi, cœlitùs quod decidit,
vel Gygi formosa stulti Regis uxor Lydiæ.
Candidâ cum Margariten exues crocotulâ,
stabit illa Gratiarum quarta veluti soror.
Gratiæ sunt usque nudæ, nuda et usque Veritas.
Eva nuda quàm togata longè erat decentior,
exuit que castitatem, quandò braccas induit.
Nempè fucum intaminata forma sprevit tegminis.
Nuditas ex sanctitate, nata vestis crimine,
esset ut vilissimarum sordium tectorium ;
ut que nævos, ut que nostri damna velet corporis.
Nunc tatæ sororiantes lacte si stillant notho,
vestis ampullosa ventris furta celat turgidi.
Ergò bombyx fila texit, et pecus fert vellera.
Orbis hic infamis esset, esset absque bestiis.
Sponse, nôris hæc, amabo: sponsæ vestem detrahas,
de que collo, de que costis, de que crure virginis,
queis tenella degravavit membra sartor futilis ;
queis ineptus mollicellas scapulas intexuit,
hâc eclipsi noctilucam sic inumbrans scitulam,
ne suus feriret illam Phœbus acri cuspide.
Est inanis ista cura: flamma nescit contegi.
Quandò nudus est Cupido, tunc calescit maximè,
atque amoris flamma friget, indiget cum pallio.

Rejice, Margarita, vestes sericas et byssinas,
Celtiber quæ fila nevit, quæ que vermis Italus.
Cuncta fumo pulverabit hìc Amoris Mulciber.
Fumus est latentis ignis proditor certissimus.
Ipsa nec minùs liquesces. Crede, more fulminis
ignis hauriet medullas, integris ex ossibus
humidum depascit ille: dura fulmen atterit.
Quid quòd et tonans Cupido est: torsit is cum fulgetra,
dura quæ fuêre, plumis molliora senties.
Lenta fiunt quæ rigebant, quæ vigebant, languida.
Cuncta ponit vela navis læta portûs limine.
Fac, amabo, bella Nais: omne pone carbasum,
si quidem anchorâ teneris in sinu Thermaico:
sæpè fluctues licebit, est sinus tutissimus.
Viderit tamen magister, ne immemor sit antliæ;
Ipsa rimis suevit Argo grandibus fatiscere,
hauriens neglecta spumas Nerei cujuslibet.
Cæterùm vidisse nudam Cypridem non sufficit,
hoc patrantis est ocelli ludicrum spectaculum.
Cura major est fruisci. Cerne frontem Actæonis,
cinxit ut Diana curvis cornuum ramalibus:
maluit pudica Phœbe permoli, quàm conspici.
Lex amoris est perennis: ex amoris partibus
non meretur ille primam, qui neglexit ultimam,
atque adulteri cuculi nutrit ora nidulo,
quem suis curruca pullis credit esse proprium.

Linteum sinus amicum tu tuæ cum extorseris,
ultima cataracta, portæ quæ pudoris incubat,
recta tum tibi patebit semita ad victoriam:
ilicet aditu occupato arcem necesse est dedier.

Tum tibi Philista cedet gloriosam adoream;
namque primulo puella perdet in certamine,
antè quod suis ocellis charius putaverat.
Perdet hora, cuncta quod custodiit Olympias.
Hoc tamen se non minorem sentiet dispendio:
quin suis crescet ruinis, Nilus ut chrysorrhoas,
amplior sese futura humore fœta spumeo.
Ah! quid aio? Tute Nilus Delta inundas infimum,
ut ferat gratas aristas, et tibi cognomines:
sic que inundas, ut recondat pyramis fastigium.
Augeas tuam licebit Tethyn unico ostio,
illa cedet, tu que vinces, et tamen nil auferes,
miles à prædâ cupitâ commeans inanior:
tristis ipsis in triumphis; instar et victi magis,
sicuti fuit secundo Roma bello Punico.
Dulce certamen medullas intimis è venulis
fundis agros in feraces fœminæ, dum vincitur,
undè lassitudo membris ex labore nascitur:
et recedens fert voluptas uda pœnitentiam,
quam talento non emebat pruriens Demosthenes.
Illa turget, ille macret: hinc genus mortalium
sacra Phœnix ut perennat inter ipsa vulnera.
Haud secùs tabescit humor, dum lucerna splendicans
candidam serit per ædes luminis propaginem:
sic olivi damna sentit, gnaviter qui lucubrat.

Hisce nos coagulamur pauculis è guttulis,
quas caloris vis pudendi coxit in recessibus.
Penicillus ipse Jovæ nos viros delineat;
serviens natura miscet quos colores repperit,
lacteum quorum maritus, dat rubentem fœmina.

More

More telæ at si tenellus embryo contexitur,
inserit subtemen illa, stamen ille contulit.
Hæc Eleusis est reclusis nobilis mysteriis,
quæ non ipsis nosse mystis cuncta fas est sedulis:
his sacris brevi volentem tu Philisten imbues.

Sin timens inepta virgo vulneris periculum,
in thori fano erudiri mordicùs refugerit,
prona linteis recumbens, quam supinam discupis,
tu cave ne oleum et laborem, dum revellis, perduis:
nam parùm refert, amatæ si noteris unguibus;
crebra militi cicatrix gloria est, non dedecus.
Hìc opus virtute verâ est, ut rebellem subjuges.
Ergo tu Mirmillo fies, illa Retiaria;
Thraca si sit, tu Sequutor: at caput si Gorgonis
nudet, harpe tu rigente perforabis ægidem.
Sic Minerva nec resistat, ne ve virgo Delia;
sic, puto, subacta Phœbo est Musa mater Orphei.
Urgeas hastatus usque gannientem inducias,
nec quiescas, dum columbæ more se submiserit,
et tuo latus sinistrum dextero conjunxerit,
fiat et Hermaphroditus è duobus unicus,
Enthea parvi cohærens glutino Cupidinis,
pendeas à te que apertâ in Hippocrene Pegasus,
quam tuæ solum curavit gratus ictus ungulæ.
Jane, tu timere noli: monstra te non terreant.
Suave sic in monstra quævis ex amore vertier.
Nam redibis in priorem, cum voles, imaginem:

Ipse rectiùs Sibyllâ ducerem te ad inferos,
Margarita tibi donec Antipus evaderet,
Arcticas spectaret illa, tu rotas Antarcticas;

hæc secreta si popello fas erat retexere.
Tu comatus sis Jopas; hanc chelyn si repperis,
haud novum est tibi canoras temperâsse chordulas;
Phœbus hâc te instruxit arte, sicut arte iatricâ.
Sume plectrum, et cantilenam psallito tripallicam,
in specu qualem Diones personabat Cynthius,
ad lyram nonæ sororis, undè natus Orpheus.
Dulcior concentus haud est orbium cœlestium.
Aut erit, si mavis, arvum, tu colonus pervigil,
Hesperum sequens labore, præiens que Phosphoro.
Laureas si vis oriri, pange primò thyrsulos,
pange thyrsulos recessu in hortuli Cupidinis.
A Diis sunt cuncta nobis empta, sed sudoribus.
Cur nucem non spontè frangat, esse qui vult nucleum?
Margaritam nec terebret, quisquis uti cogitat?

Thomas Rhædus.

C X.

LIGNATOR.

Rusticus *hem* cunctos cum congeminaret ad ictus,
hiberno properans findere ligna foco,
syllaba quid toties juvet *hem* geminata laborem
quærenti uxori, rettulit ipse. — Juvat:
nempè simul toto contentis corpore nervis,
in rimam cuneum fortiùs ictus agit. —
Illa memor, Veneris media inter gaudia, telum
ut penetret magis, *hem* congeminare jubet. —
Nil opus est, inquit, nunc hoc conamine, conjux:
findere te sanè nolo, forare volo.

Georg. Buchananus.

GALLI.

CXI.

VENERI.

Ventris onus Corydon mediis dum ponit in agris,
pendula que in viridi gramine membra rubent;
hæc, ut viciná tum fortè latebat in herbâ,
lubrica jejuno dente Vipera petit:
quæ corpus reliquum accepto ne fortè veneno
inficiant, medici provida cura secat.
Palpitat infelix succisi more colubri,
sanguine que adspersam mentula pulsat humum.
Hanc mutilus Pastor myrti viridantis in umbrâ
ponit Acidaliæ flens que gemens que Deæ.
Tu, quandò vires invito casus ademit,
parce, Dea, et curis hunc bona solve tuis.

SAMMARTHANUS.

CXII.

MULIER DISERTA.

Nuper Candidulam meam salutans,
salve, inquam, mea mens, mel et lepores,
corculum que meum. Illa tunc disertam
quùm sese cuperet mihi probare,
salve, inquit, mea mentula! ô disertam
et docto benè fœminam cerebro!

12.

Nam si dicere corculum solemus,
cur non dicere mentulam licebit?

Theodorus Beza.

CXIII.

DE BOSSO MILITE.

E bello rediens monstrat sua vulnera Bossus
uxori, fractum se que labore dolet.
Optatæ expectans noctis sed gaudia, Bosso
uxor ait: salva est mentula, Bosse, sat est.

Jo. Vulteius.

CXIV.

AD SUSTRIUM.

Quòd misero dives juncta est tibi Julia, Sustri,
non facit hoc virtus, mentula longa facit.

Idem.

CXV.

AD JULIAM.

Illecebris qui te petit et demulcet amœnis,
aut querulis tentat vincere deliciis,
hic ne tuo, mea lux, est irretitus amore?
Divitias ne magis deperit ille tuas?
Virgo, tibi, formosa, cave: latet anguis in herba. —
Anguis ni lateat, non ego, dixit, amem.

Paschasius.

CXVI.

AD GALLAM.

Fœmineâ uxorem quoties te voce salutat
Fronto suam *pœnam*, Galla, vocare solet.
Illum ità masculeâ poteris tu voce maritum
grammaticè *penem* dicere, Galla, tuum.

Idem.

CXVII.

SINE PRIAPO NON AMOR.

Contrà versus Apuleianos.

Nefas amare, si potirî non lïcet;
quid solus est Amor, nisi votum impotens,
nolens voluntas, ardor expers virium,
ejus que pœna, cui negatum jam frui?
Qui amat, fruatur: hoc Venus, hoc vult Amor.
Cupîdo posse cui negat, velle abnegat.
Res illa amore constat et potentiâ:
et velle crux est, nî simul vires sient,
et posse crux est, nî voluntas urgeat.
Olli ergò ament qui in lectulo cum virgine
molli cubantes, membra teneris implicant
nodis calentia, et procaci palmulâ
omnia pererrant proximæ Veneris loca,
et comprimentes osculo dulci labra,
et hinc et indè commeante lingulâ,
et hinc et indè fluctuante Cypride,

animis utrimque corde crebris pulsibus,
uno que bina possidente pectora
æstu, et tenaci conligati glutino,
amplexibus que arctis adhærentes, levi
vulnere puellæ molle laxant cingulum
oculis patrantibus, et cadente spiritu
in vasa Veneris vim vomentes fervidam;
alvum rigantes imbre lacteo, sopor
donec propinquus languidos demulceat
artus, sepultas suscitans rursùm faces.
Exeste, Galli, vel quibus vim sustulit
impos senectus: queis potiri non licet,
nec amare fas est, nosse nec ritus sacros,
ac nec videre quæ imperat nobis Amor,
dum floret ætas, dum inquies nostras calor
urit medullas, et Venus Venerem jubet.

DURAND.

CXVIII.

AD SEMIVIRUM.

Virgineum laxâ frustrà femur icis alutâ
semivir, in facilem nec potes ire viam.
Lorea sed gelido tibi prominet inguine vena,
nunquàm fœmineos ausa subire locos:
quæ velut improvisum aspris in sentibus anguem
presserit, indè retrò tota repentè fugit.
Cyaneas nunquàm cautes rate vector adires,
nec tua Scyllæas puppis iniret aquas.
Nec valido rueres emotos cardine postes,

urbs foret hostili si capienda manu,
mollia qui teneræ perrumpere claustra puellæ,
nec moliri aditum segnis iners que potes.
Si sapis, hoc rigido tibi pondus inutile ferro
demete, ut excutias, Castoris instar, onus:
Pendula ceu Samiâ sibi desecat inguina testâ,
entheus ad Phrygios qui solet esse modos.
O pereat miserè qui tendi nesciet arcus!
O pereat tendi fors lyra si qua nequit!
Laxa quid arma juvant? nutante peculia collo
quid gestare tibi sic onerosa placet?
Dede neci, tua sic fueris, sic probra virorum
ultus, quæ fecit pars scelus, illa luat.

ADRIANUS TURNEBUS.

CXIX.

IN SENEM LASCIVUM.

Dic mihi, Pythagora, post ultima quid fore mortis
fata senem, qui sit fractus amore, putes? —
Per Venerem! fiet pulchrum ac laudabile porrum,
ut viridi caudâ est albiculâ que comâ.

JOANN. GIRARDUS.

CXX.

TELUM.

Puella saxis durior,
me non amas? volo mori;

miserrimus finis meæ
vitæ laqueus erit mihi:
aut ab arce præceps decidam
in puteum, vel lagunam.
Non sic fit: at mori lubet
telo, manu quod altero:
cui dum incubo, præcordiis
etiam tuis infigam, ut sic
mecum simul mortem oppetas.
Vindicta de te una hæc mihi est!
age, incubo, infigo simul,
puella saxis durior.

JOANN. GIRARDUS.

CXXI.

ALTERA PENELOPE.

Solam Penelopen se jurat amore mariti
Phyllis habere parem, tanta fides thalami est!
Hanc imitata omnes hominum est experta sagittas;
nemo viro tendit firmiùs, hunc deamat.

MONERIUS.

CXXII.

DE PRIAPO.

Si Deus ille puer moreretur fortè Cupido,
quisnam ejus gereret regna, vel imperium?
An Mars, bellorum præses, vel Jupiter ipse,
qui quatit horrendâ fulmina dira manu?

An Divûm interpres, Majæ pulcherrima proles?
Vel qui tetra niger Tartara Pluto regit?
An florum variè pictorum infusor Apollo,
vel Bacchus madido blæsulus ore Deus?
An verò altarum stator Neptunus aquarum,
Tranquillum ve ciens Æolus Oceanum?
Vis tibi dicam? hæres defuncti verus Amoris,
hortorum custos ipse Priapus erit:
ille unus si quidem reliquis acceptior, omnes
fœminea in partes corda volare facit.

Gilb. Ducherius Vulto.

CXXIII.

IN QUEMDAM.

Nasus cum tibi sit mucosus, longus et uncus,
mentula fœmineis et malefida jocis,
debueras nuptam naso terebrare puellam;
mungere sic poteras, atque coire simul.

Guy, de Tours.

CXXIV.

IN MISCELLANEA ACCORDII (1).

Quidam suavis homo, elegans que mirum
lippis viderat hunc libellum ocellis:
mox censor nimiùm superbus, atrâ
expunxit maculâ sales venustos,

(1) Bigarrures du sieur des Accords.

quòd risu fluerent licentiore;
aures polluerent quòd ut pudicas.
Legis nescius ergò comminacis
quæ marem vetat evirare sexum,
(formæ supplicium indecens decoræ)
hunc castraverat undèquaque librum.
Quæ licentia, quæ libido, dicam,
non imponere fibulam jocoso,
totum excindere sed virum, Priapo!
Illi quid precer, imprecer ve, quod sit
juri conveniens et æquitati?
ut pœna artificem suum sequatur,
ut que langueat exvir, acriores
cachinnos tolerans: cupivit amens
ceu languere opus istud eviratum.

Franc. Juretus.

C X X V.

PRECES MENTALES,

Rufus nigellam, simplicem puellulam
Mentalem, ùt aiunt, edocebat Curio
Precationem, gestiente vertice,
limis ocellis, ore torvo, gutture
singultiente, sibilantibus labris,
frequentibus que basiationibus.
Mentalem at illa dum precatiunculam
cupit, capit nil quàm salacem mentulam.
Sic innocentem mandit agnulam lupus.

S. Certo.

CXXVI.

NAIAS SATYRI VICTRIX.

Fortè tenebroso, Veneris secura malignæ,
carpebat somnos Naias malè cauta sub antro;
cum subitò è turbâ Satyrorum prosilit ardens
Corniger, atque fugas tentantem ac multą gementem
corripit, et lapsam vesano irrorat amore.
Spargere tum lacrymis antrum, longo que ululatu,
et nemora implere, et cœlum stellas que vocare.
Frustrà: tunc etenim Satyros bis ter que quater que,
ô quàm degeneres! operam renovare decebat.
Jam cessant lacrymæ, et jam rupes dulcè silentem
mirantur: donec tandem defessus agendo,
viribus effractus, discedere tentat amator:
Cui Naias contrà assurgens, sic, perfide, abire
sperâsti, nec te pudor arguit, aut timor urget?
Ergò tam vili pretio compressa recedam?
infelix! neque fit requies, quin Nympha fugacem
probris que innumeris coopertum vexet. At ille,
qualis aper fugiens venantûm tela canes que,
impiger in latebras properat, quærit que salutem,
pallens. Riserunt Nymphæ Fauni que salaces,
mansurum que super posuerunt cortice carmen:
HIC SATYRUM NAIAS VICTOREM VICTA SUBEGIT.

J. B. ROUSSEAU.

CXXVII.

ARETINI CARMINUM

(*Vulgò* Sonnets) *XV versio latina, distichis expressa, anno 1710.*

PETRO ARETINO.

Aretine, tuæ memorantur ubique figuræ:
    nam solet has vulgi dicere lingua tuas,
et quod scalptoris fieri commune decebat,
    in solum vatem transtulit illa decus.
Tu versus patrios sub imagine quâque locâras,
    bis septem quos nunc vix reperire datur.
His ego jacturæ parva heu! solatia magnæ
    substitui Latio disticha tincta sale,
hortorum placitura Deo, qui rustica quamvis
    suetus verba loqui, frater Amoris erat.

I.

Blanda quidem manus est, mentum quæ mulcet amantis;
    blandior ast hujus mentula, dura licet.

II.

Cur nequit heu! digito, qui peni, sensus inesse,
    aut cur non peni vis ea, quæ digito?

III.

Quòd te sternat Amans, ne crede, puella, superbum;
    en humerum femori subjicit ipse tuo.

I V.

Succumbant tanto ne fœmina vir que labori,
dum timet, eccè preces hìc pia fundit anus.

V.

Crus dominæ lævum dextrâ sustentat amator,
altiùs in foveam sic ratus inguen agi.

V I.

Nostin', quid moneat, quam contemplaris, imago?
Masturbare, tibi dictitat, aut futue.

V I I.

Fungetur linguæ non tam benè munere verpa,
Quàm verpæ fungi munere lingua sciet.

V I I I.

Tollit amica pedes, huic penem figit amicus:
spectat, et id spectans serva misella vacat.

I X.

Sic, duce naturâ, primi futuêre parentes:
hos jungebat amor tum puer, artis inops.

X.

Spectat heram similis miranti ancilla, putat que,
vectam more viri dum videt, esse virum.

X I.

Viva parat dominæ cunnum dum verpa fricare,
Ancillæ cunnum vitrea verpa fricat.

XII.

Hìc sedet, illa cubat, fit opus, quod proxima cernens,
artifici futuit se bona nympha manu.

XIII.

Vir geminis, uno cur stat pede fœmina tantùm?
Paxillus mediam, ne cadat, eccè tenet.

XIV.

Masturbatori se cunnus inaniter offert;
arctior in digitis est mihi cunnus, ait.

XV.

Cruribus elatis, porrecto fœmina cunno,
admittit tensum semisupina virum.

Bernardus Lamonnoye.

CXXVIII.

MUSCIPULA.

Intrârat lectum somno vino que sepultus;
micturus matulam quærit utrâque manu.
Muscipulam, matulæ vice dum capit ebrius, ejus
pars est muscipulæ capta pudenda dolo.

Idem.

CXXIX.

IN RHODANTIDEM

Scortum Divionense nobilissimum.

PARODIA E PHASELO CATULLIANO.

Rhodantis illa, quam videtis, hospites,
ait fuisse clarior Philænide,
neque ullius salacis impetum natis
nequîsse præterire, sive cui Venus
opus foret supina, sive pendula,
et hoc negat Susonis, Oscaræ negat
negare littus, hortulos ve proximos,
casas ve, rura, et oppida adjacentia,
ibi que si qua lusibus vacant loca:
ubi ista, sicca nunc rosa, anteà recens,
juvenculis petita prurientibus,
solebat explicare liberos sinus.
Venusta Belna, Divio venustior,
tibi hæc fuisse, et esse cognitissima
ait Rhodantis, ultimâ ex origine
tuis dedisse dicit in suburbiis,
tuis voràsse mentulas in angulis,
et indè, tot per heu! satellitum minas,
tot heu! pericla, læva, sivè dextera
vocaret aura, semper insciam metûs,
cuique subdidisse publicum femur;
neque ulla vota Phallicis Deis negat
sibi esse facta, cum rediret à lue

novissimâ hunc ad usque corporis statum.
Sed hæc fuêre : lena nunc bibax rogat
stipem misella, seque dedicat tibi,
amice Liber, atque Amica Liberi.

Bernardus Lamonnoye.

ANONYMA.

CXXX.

SIGNA.

Noscitur ex pedibus, quantum sit virginis antrum :
noscitur ex naso, quanta sit hasta viro.

CXXXI.

VIR MINGENS.

Mingere dum properat vir pingui tentus omaso,
distant que à muro longa pudenda nimis,
fœmina præteriens objurgat, et, improbe, dixit,
non coràm populo talia ferre pudor ? —
Ille, tace, retulit, nimis es vidisse beata,
quæ mihi tam que diù cernere non licuit.

CXXXII.

QUID EST HOMO?

EX ITALICO.

Usque puto ac reputo, ac reputanti victa cadit mens,
vile quòd est sputum non nisi penis, homo.

CXXXIII.

CXXXIII.

IN CAULNEAM (1).

EX GALLICO.

Cur modò grande Ducis posuisti, Caulnea, nomen
et matronali aptum spontè sedile culo? —
Quòd bipedalis inest et cornea cauda Giacco (2),
carior et cunnus quòd mihi clunibus est.

CXXXIV.

IN PRIAPOS ALATOS.

Alatum meritò veteres pinxêre Priapum:
usque fuit verus quippè Priapus Amor.

CXXXV.

IN PHALLOS.

Parcite, crusticolæ, lignum ostentare pudendum:
arbor enim vitæ quàm benè Phallus erat!

CXXXVI.

ÆNEUS SERPENS.

Æneus, ut perhibent, quondàm morientibus anguis
præsentem in dirâ peste ferebat opem.

---

(1) Chaulnes. (2) Giac.

At ruber, et rigidus cervice et carneus anguis
est magis in cunctis certa medela malis.

CXXXVII.

SERPENS TENTATOR.

Quo pellecta Parens malum prior ore momordit,
ambigitur doctis quis fuit ille draco. —
Cur oleum et tempus, fatui, sic perditis? Ille
crassa, torosa, rubens, mentula longa fuit.

CXXXVIII.

DE CLAVA HERCULIS.

Desinite Alcidæ, pictores, fingere clavam:
longè aliud signum debet habere Deus.
Quinquagintà unâ subigit dum nocte puellas,
ingens una olli mentula clava fuit.

CXXXIX.

TELUM AMORIS.

Perfidus incautum nuper me ponè sagittâ
læsit Amor, quæ imis ossibus acta furit.
Imò pergit iter, dictu mirabile, telum,
et mihi ventre foris prominet usque rigens.
Nec jam sum tantæ patiens tentiginis: ergò
quo vis cumque modo, Gellia, tu fer opem.

C X L.

ASELLUS PRIAPI VICTOR.

Hellespontiaco quòd immolatur
unus præ reliquis Priapo Asellus,
non id fit quià fascino trabali
omnes vicerit omnium sagittas,
draucis que invidiam puellulis que
urentem pathicis movet salivam.
Causam longiùs est opus requiri,
hoc te noscere quam licet relato.

Nam cum in belligeros Lyæus Indos
agmen capripedum ungulâ sonante
secum educeret, orta magna lis est
inter semideos mero madentes
quis toto agmine mentulatior sit.
Stat longè antè alios ovans rigens que
protento inguine corneo Priapus,
et quantùm aeriis premi cupressis
per saltus humiles solent myricæ,
tantùm fulmineo Dei pudendo
caudæ se se aliæ ferunt minores.
Eccè autem increpitans Dei triumpho
infert se medio ferox Asellus,
et palmam vetat asseri immerenti,
quam pro jure suo reposcit ipse,
ut qui omni agmine mentulatior sit.
Collatis igitur duabus hastis,

Hellespontiaci minor supellex
Divi prominuit, quod ille probrum
indignans, Asinum superbientem
æmulum que Deo furens cecidit.
Hìnc mos invaluit quòd immolatur
unus præ reliquis Priapo Asellus.

CXLI.

CALAMUS.

Hortantem absenti matrona ut casta marito
scriberet, arguto corripit ore virum. —
Quî scribam, retulit? Calamum procul abstulit ille,
in que meâ liquor pixide nullus inest.

FINIS.

